Digitized by Google

DOMINICI COTUNNII

EQUITIS AC MEDICI PRAESTANTISSIMI

OPUSCULA MEDICA

ANTEHAC SEORSIM AB AUCTORE IN LUCEM EDITA,
NUNC PRIMUM IN DUO VOLUMINA COLLECTA.

Cum iconibus aere incisis.

VOL. I.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

NEAPOLI,
Ex Officina Bibliographica et Typographica.
M. DCCC. XXVI.

Et quamvis Ejus opuscula apud nostrates et exteros pluries edita sint; adeo tamen rara nunc sunt eorum exemplaria, ut vel quantovis pretio perdifficilis sit eorum acquisitio.

Quo igitur huic extremae inopiae aliqua ratione consulatur, et publico desiderio satis fiat, ea denuo Neapolitanis typis committere statui, ac mendis, quae in alias editiones irrepserant, purgata, luce elegantiore perfundere. Ad haec sollicitus curavi ut diligenter, et nitide icones ad ipsa pertinentes aere caelarentur. Et ne quid desiderari possit ad hujus operis absoluti perfectionem, cl. Auctoris elogium, et quidquid, licet parva sit suppellex, ex ejusdem aliquibus schedulis colligere carptim potui, eadem methodo addidi, quam ipse inter vivos secutus fuit.

Haec commoda in hanc editionem cumulata certam mihi dant spem publicae rei utilitati, et valetudini non sine gratia me prospecturum. Quod ut firmioribus argumentis assequi possim, hujusmo-

di opus Vobis, viri doctissimi, dicatum volui, quorum eruditionis amplitudo, multaque ac magna omni in re litteraria merita, praesertim in salutari arte, praeclara famae praedicatione celebrantur: nec dubito, quin in vestram fidem recipiatis hujus tanti viri ingenii foetus, non quod commendatione egeant, sed quia ei perpetuam Vestram benevolentiam, eamdemque observantiam praebuistis, quam illius doctrina cum severiorum morum dignitate conjuncta ubique jure ac merito est consecuta. Valete igitur, amplissimi Viri, nostroque de litteris bene merendi studio favete.

SERIES
OPUSCULORUM,

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

De aquaeductibus auris humanae internae anatomica Dissertatio. *pag.* 21.

Fragmenta anatomico-physiologica etiam ad auditus organum spectantia. *pag.* 151.

De sternutamenti physiologia. *pag.* 155.

Tabulae duae anatomicae nunc primum cum earum explicationibus in lucem editae. *pag.* 158.

De animorum ad optimam disciplinam praeparatione Oratio. *pag.* 171.

Del moto reciproco del sangue per l' interne vene del capo, ec. *pag.* 201.

Dello spirito della Medicina Ragionamento accademico. *pag.* 259.

Lettera I. su di una spezie di febbre putrida, che l' Autore chiamò *febbre corruttoria* o *tabida acuta*, comunicata al Sig. *Michele Sarcone* in occasione dell'epidemia sofferta in Napoli l' anno 1764. *pag.* 285.

Osservazioni fatte dal lodato Autore su di coloro, che soggiacquero nella sopraccennata epidemia, partecipate dallo stesso al ch. *Tommaso Fasano*. *pag.* 291.

Lettera II. sull' elettricità del Sorcio, scritta al cav. *Vivenzio*. *pag.* 293.

DOMINICI COTUNNII
VITA
A JO. FLAUTI
BREVITER CONSCRIPTA.



Digitized by Google

DOMINICI COTUNNII

VITA.

Dominicus Cotunnius, Rubis (nunc *Ruvo*) in Daunia, Regni neapolitani provincia ingeniorum feracissima, quarto Kalendas Martii, anni 1736, honesto genere ortus est. Iuenite aetate magnam ingenii vim ostendit: quamobrem positis domi primis latinae linguae rudimentis, vix nonum attingens annum aetatis, a patre Barium missus est, ut in humaniorum litterarum disciplinis perficeretur. Ibi brevi tempore in tantum profecit, ut suo marte, suaque industria et Homeri linguam interpretari conatus sit; nec deinceps unquam destitit in hisce exercitationibus versari aetate jam provecta: eumque ex cathedra saepius auditores ejus inculcantem excepere illud Horatii: *Vos exemplaria graeca Nocturna versate manu, versate diurna.*

In Patriam reversus, primum philosophiam et matheseos principia edidicit; mox deinde medicinam adivit. Verum sensit continuo natale oppidum haud satis subsidii sibi suppeditaturum, ad medicam artem rite adipiscendam: quare omnibus

difficultatibus, his praesertim quae ex rei familiaris angustiis oriebantur, evictis, Neapolim, ubi tunc Medicina maxime florebat, contendit: eoque primum nono Kalendas Januarii 1753 pervenit.

Nihil in urbe hac magna frangere potuit Cotunnii animum, vix decimum septimum agentis aetatis annum, nec novitas rerum, nec incolarum illecebrae: quippe cui totus ejusdem ambitus, perstrictis cancellis, intra Universitatem Studiorum, et magnum Incurabilium Nosocomium contineretur. Privatas doctoris Pisciotani lectiones adiit: atque in Regia Universitate illas praesertim quae de Nosographia praestantissimus medicus ac philosophus insignis Franciscus Seraus dictabat: adeoque ex eorum documentis profecit, ut vix novem elapsis mensibus ex quo primum advenerat, publicum sui periculum facere haud pensi habuerit in Incurabilium Nosocomio, ut *medici assistentis* munus consequeretur.

Primo hoc gradu quam feliciter ascenso, intra septum Nosocomii veluti coërcitus, totum se dedit suis muniis obeundis, et anatomicis studiis, si quid temporis superesset, colendis, veritatique undique disquirendae: quod et ipse ait in praefatione ad sua *Fragmenta medica* adhuc inedita: quippe qui octo annos, quibus in Incurabilium Nosocomio extemporaneae medicinae addictus est, beatos ibidem appellat, et in libero genialique ocio traductos; ut qui anatomicis stu-

diis, quibus animum adjecerat, apprime responderint. Hinc studiorum ejus initia, quae ad annum 1756 et ipse constituit, ducuntur, et quae ad extremum usque diem, eadem semper alacritate, eodemque artis suae provehendae desiderio, persequutus est.

Improbus in cadaveribus dissecandis labor; tum in anatomicis disquisitionibus semper nova vestigando; pestifera ex putrescentibus membris miasmata; tabidusque aer Nosocomii ubi arcto se cubiculo cohibebat Cotunnius; crebra praterea pervigilia, commodorumque fere omnium, quibus vita sanitasque servari solet, penuria (quum nec modico quidem victui tenue illud quod acceperat stipendium, suppeteret); adeo tandem ejus valetudinem labefactarunt, ut violenta haemophtisi corriperetur. Cujus ex morbi desaevientis vi quum vix tandem, velut ex fati faucibus, evasisset; tum vero Nosocomii septemviri, qui tunc temporis sagaci sollertia ea gubernacula tenebant, eximii juvenis stipendium adauxerunt. Ne vero is pecuniam, vel tunc necessariis usibus duntaxat parem, in libris emendis consumeret; Bibliothecam tum ibi exsistentem, libris quamplurimis optimisque refertam, ejusdem usui addixerunt. Nec multo sane post tempore, ipsum jam private rem medicam edocentem, ad cathedram Chirurgiae in Collegio Medico-Chirurgico, quae in ipso Nosocomio tunc erat, evexerunt. Magnoque profecto juventutis emo-

lumento, frequenti illo Facultatis Medicae suffragio consultum; quae jam tum intelligebat quid Cotunnius praestaturus esset in sua arte, et quantum ex eo commodi universis disciplinas medicas ineuntibus esset adfuturum. Quam vere autem de illo judicium tulerint, videre est ex multis praeclarissimis viris qui ex Cotunnii schola prodiere: inter quos minime praetereundi Antonius Sementinius, Xaverius Macrì, sexcentique alii, qui medicam artem apud nos dudum quam sapientissime administrarunt, vel etiamnum administrant.

Humani corporis fabricam sedulo pervestigando eo tandem devenit, ut anno ineunte 1761, quinto aetatis suae lustro nondum exacto, repertis, post Fallopium, ab Eustachio, Casserio, Folio, Du-Verneyo, Valsalva, Cassebohmio, et Morgagno de aure humana bene meritis, sua item addiderit, apposite quidem ad auditus caussas facile explicandas, *De aquaeductibus auris humanae internae*. Praeclarumque illud repertum publici juris fecit in dissertatione, quam eodem anno typis mandatam, M. Antonio Columnae magni Nosocomii gubernatori, protectori suo singularissimo dicavit; eximioque viro, de se, ut diximus, optime merito, pro magnis in semet benefactis, publico hoc testimonio gratiam retulit.

Illustrem huiusmodi primum laborum ejus fructum, alter subsequutus est de *inventione nervi parabolici*, cui tota sternutamenti physiologia

innititur : quo de argumento se pollicebatur scripturum. Sed curis plurimis distentus quum id perficere non potuisset ; duas tabulas incidi curavit , quae ejusdem nervi originem , progressum , finem , ac nexum per quam fideliter exponerent : easque celeberrimis in Europa anatomicis , et praecipue Morgagno misit ; a quibus non parum laudis adsequutus est. At nunquam in posterum tractatio haec , quae praeclarissima futura fuerat , in lucem prodiit ; licet , ut ipse profitetur , editurum se illam sperasset paullo post quam publici juris fecisset *De Ischiade nervosa schediasma* , quod anno 1764 praestitit. Nunc libenti sane animo denunciare possumus inter inditas eius tractationes hanc item adservari , quam et publici iuris propediem facere animus nobis est.

Eodem anno superiore 1564 , grassante Neapoli epidemico morbo , in hujus caussis investigandis , sedulam industriam locavit , ejusdemque curandi rationibus : deque hac re ad Sarconium epistolam dedit , quam legere est ad calcem aurei tractatus qui prodiit impressus Neapoli anno 1765, cui titulus *Della Febbre Epidemica.*

Schediasma ejus *De Ischiade nervosa* , vix primum ab ipso Neapoli typis mandatum, prodiit iterum excusum Bononiae, Venetiis , Vindobonae, Amstelodami , Londini : adeoque unum hoc ingenii specimen exteris nationibus novi Medici neapolitani nomen obnunciavit. Itaque anno insequenti 1765, quum iter per Italiam suscepisset,

magnifice susceptus est Romae, Bononiae, Ticini, Venetiis, et praesertim Patavii a celeberrimo viro Jo. Baptista Morgagno, qui tunc temporis inter anatomicae artis cultores maxime eminebat, nec quidem immerito.

Hoc primo itinere confecto, Neapolim revertit, ibique anno 1666, trigesimo aetatis suae, publico exacto experimento, ut ex more, ad Anatomiae Cathedram in alma nostra Universitate Studiorum evectus est; quam usque ad extremum vitae curriculum nunquam dimisit: semperque inde, quoadusque vires suppetiere, fabricam illam intricatissimam humani corporis explicando, non juventutem tantummodo edocuit, verum etiam viros qui eam satius callebant: quippe illum ex cathedra docentem audire, naturali quadam eloquentia in describendo ad miraculum usque praeditum, non parvam unicuique utilitatem portendebat. Multas scilicet ille, varias, novasque res expertus, deinde his omnibus suas lectiones exornabat: ita ut non tantum anatomiam descriptivam, verum etiam pathologicam ex ejus lectionibus facile erat addiscere. Atque utinam publica ejus artis ministeria quae in diem crebescebant, ipsi tempus non intercepissent, ut hoc uno officio defungeretur! Mirus profecto quotidie auditorum numerus videri poterat, ipsum in Universitate Studiorum, hora jam lectionis exacta, praestolantium; idque aliquando per plures dies: ut ex eo pateret quanti ipsius adventus haberetur.

Ex hoc item videre licet quanti habenda sit illa ejus pernobilis repudiatio ne se Ticinum transferret ut Anatomen in illa Universitate profiteretur; magno licet illuc stipendio ab Imperatrice M. Theresia, muliere incomparabili, evocaretur. Neque interea, primis abhinc annis, ex quo in Universitate suo munere perfunctus est, unquam praetermisit cadaverum dissectiones in Incurabilium Nosocomio: ut, scilicet, morborum caussis detectis, hac ratione ad ipsos curandos sibi viam sterneret; proindeque anno 1769, quas dudum collegerat observationes, eas in lucem edidit hoc titulo: *De Sedibus variolarum Syntagma.*

Eo ferme tempore, et praesertim dum publicis lectionibus privatas jungeret, in commoditatem et usum studiosae juventutis auditorii sui, conscripsit *Institutiones medicas et chirurgicas.* Ut vero ipse ait, elementa ista ita digesta sunt, ut captui adolescentium et res et stilus essent accommodata: nunquam enim sibi proposuerat ea publici juris facere. Eorum scilicet elementorum materiam, ut satis pervulgatam, discenti quidem solummodo parem noverat, dicenti vero modicam, tum legenti et magna quaerenti fere prorsus inutilem: proindeque frustra, dicebat, apud se quaeri illarum institutionum exemplum.

Vir mirae, ut erat, sagacitatis, medicam artem suis principiis callens, et methodum in ea inquirens, anno 1772, arrepta occasione conventus medicorum, quadam de caussa, in theatro ana-

tomico magni Incurabilium Nosocomii, auream suam orationem, italice conscriptam, recitavit, cui titulus: *Dello Spirito della Medicina*: hunc repositum ostendens in factis accurato acrique judicio congestis: quam eodem anno typis dedit. Sexennio deinde post praelectus ut orationem inauguralem in Regia Studiorum Universitate haberet; magnam sibi ex ea laudem comparavit, posito themate, *De Animorum ad optimam disciplinam praeparatione*: quod ornate, diserteque, optimisque rationibus illustravit.

Proximo anno 1779, quum Ferdinandus IV. Siciliarum Rex, ad promovenda apud nos optima studia, Scientiarum, eruditionis, et bonarum artium Academiam neapolitanam constituisset; in optimis, quibus ipsa componeretur, viris, merito Cotunnium nostrum evocavit: qui, ut suam conferret symbolam, anno 1782, partem primam produxit dissertationis cui titulus: *Meccanismo del moto reciproco del sangue per le interne vene del capo*: quae a doctis viris Senatus academici adprobata, in primo volumine Actorum, anno 1784 edita adparuit. Utinam vero temporum, Academiaeque vicissitudines, quas hic enumerare non vacat, illi sivissent partem item alteram hujus argumenti publici juris facere! Ea videlicet adhuc desideratur, nec certum est an inter ejus scripta inedita delitescat. Et hoc eodem anno 1784, dum semper nova, per dissectionem animalium viventium, inquireret, electricitatem animalem primus detexit in

mure quem dissecabat: et de ipsa certiorem fecit collegam suum *Vivenzio* brevi epistola.

Tot tantosque labores Cotunnius perferebat dum acri sedulitate medicinae practicae per domos, ac plateas, et nosocomia operam daret. Illius enim desiderio tantopere flagrabant aegrotantes, ut ne unus quidem esset qui tanti viri sententiam de morbo quo adficiebatur, non impense expostularet. Et profecto quae optimum medicum constituunt, ea in ipso omnia maxime refulgebant: vultus quidem, habitusque oris, gravis, minime tamen severus; singularis ad persuadendum consolandumque, tum aegrotantem, tum ipsius familiam, tum quotquot adstitissent, orationis suavitas; prudentia, quae medicum ubique in primis commendat, praestantissima, summa cum dignitate bene composita; veritas, fides, nulla prorsus in eos qui sese consulerent techna. Quid mirum si tantum nomen, et tantum sui desiderium comparaverit? nec modo intra urbis nostrae ambitum, nec citra regni fines; verum quacunque bonis artibus habitus honor patet. Neque Neapolim quisquam adibat ex exteris gentibus, qui Cotunnium cognoscere non quaereret, et, si res sua postularet, non consuleret. Nec praeter rem fuerit hic inter caeteros commemorare clarissimum Tissot, qui donec Neapoli egit, Cotunnium crebro, et vidit et admiratus est. Quumque is a Regina nostra M. Carolina Au-

striaca, de suae valetudinis incommodis consuleretur, amplissimisque pollicitationibus sollicitaretur ut sese ipsi, regiaeque familiae addiceret; vir perinde doctus, atque ingenuus, invitationem illam recusavit; enixeque tum Cotunnio, tum Vario suffragatus est; illud adjiciens, quod, si quem ipse virum absolutissimum esset selecturus, cui nepotem suum, cujus gratia iter Neapolim susceperat, instituendum commendaret; unum profecto Cotunnium sibi esset in id sepositurus. Atque ex hoc potissimum factum est, ut Cotunnius brevi post tempore medicus Domus Augustae Neapolitanae renunciaretur; anno scilicet 1789, dum Ferdinandus rex noster Austriam peragraret: nactusque inde occasionem iter suum germanicum descripsit. Eandem simplicitatem et dignitatem simul, qua usus fuerat antea, et in aula Regia servavit, optime se in omnibus gerendo: tum quod datum fuerat muneris fideliter, ut par erat, assidueque obeundo, tum illud prospiciendo ut bene de universis mererctur. Neque unquam ex eo, difficillimis temporibus, audire licuit quod quenquam offendere vel minimum posset. Sic egit in aula Vir ille. Utinam et nunc ibidem plerique se omnes gerant, ejusque vestigiis inhaereant!

Difficile foret evolvere, ac singillatim negotia omnia recensere quae gessit Cotunnius; resque omnes, quarum procuratio ejus fidei mandata

est. Sat fuerit solummodo dixisse, nihil gestum Neapoli, dum is viveret, quod ad scientias, litterasque pertineret, quin illi potissima in eo pars deferretur. Ut vero quaedam obiter attingam; anno 1802, inter viros ad Bibliothecam maximam hujus Urbis ordinandam, gubernandam, publicoque usui addicendam destinatus est. Anno 1806, Societate ad provehendas artes instituta, unus et ipse fuit e sociis, et illico praeses designatus. Eodemque anno, Herculanensi Academia instaurata, unus idem ex viginti viris ipsam componentibus appellatus est. Anno deinde 1808, quum de Societate Regali, in qua scientiarum Academia, constituenda ageretur; is in primoribus qui statuta firmarent, sociosque primitus appellarent, evocatus. Tum vero statuta ipsa, tum delectus, ejusmodi fuere, ut Civitatis decori, utilitatique publicae nostrae responderent. Eodem deinceps anno supremum Archiatri regimen hujus regni obtinuit. Postmodo vero eum Academia Scientiarum, anno 1811. Praesidem sibi, qui spectatissimus honoris gradus habetur, fecit: isque idem huic muneri, quod ad annum conferri solet, praefuit septennio: quoad scilicet cura illa publica praeclarissima, morbo praepediente, interdiceretur. Haud item facile est enarrare quanta is dignitate et modestia se Praesidem gesserit: placet sane quod ejus adhuc rei fidem facere plerique possint qui eo in loco illum positum cognoverunt.

Universitati denuo reformatae, anno 1812, primus Rector Cotunnius positus, pleraque in eam provocavit ornamenta, quibus Gymnasium illud princeps, publicae adeuntium institutioni addictum, honestaretur: et non pauca item ad professorum sortem in melius provehendam. Quum vero, ingravescente jam aetate, inde decedere cogeretur; concessum quidem illi ut per alium lectiones consuetas continuaret: verum nunquam nomen Cotunnii, nisi eo vita functo, ex albo Professorum recessit.

Quid dicam de exteris Academiis, quae Cotunnium inter Socios recensere vel maximi aestimarunt? Bononiensis quidem ante omnes, inde ab anno 1764. Hafniensis postrema, anno 1817.

Nec tantummodo Aesculapii artem tam sedulo egregioque studio colebat, sed eruditionem praeterea, tum antiquitates, atque artes: ita ut domus ejus, ceu sanctius quoddam, selectumque repositorium haberetur librorum, tam editorum, quam manuscriptorum, antiquitatum omnimodi generis, tabularumque praestantiorum, quas et ipse sibi comparaverat, acrique idem judicio aestimabat, et illustrabat. Ejus profecto itinera, si lucem adspexerint aliquando, uniuersis ostendent perspicue, quanta fuerit Dominici Cotunnii sapientia dum haec perinde omnia pertractaret.

Hisce omnibus animi mentisque ornamentis, quibus honestabatur Cotunnius noster, cumulus

accesserat haud praetereundus, vitae integritas eximia, virtus omnigena, pura proba Religio; quae nisi adsint, iniquum est scire. Opes quidem haud parvo sibi labore partas, non tam ad se, quam ad indigentes pertinere existimabat. Constat sane inter nos, vir frugi, qui assem sibi trecentorum millium nostrorum argenteorum constituerat, quam parce vixerit. Verum novimus et nos nullum pauperem, nullam familiam indigentem ab eo discessisse quin praesentissima ope iuvaretur. Quotidie domi suae ingentem aegrotantium cujuscunque ordinis numerum excipiebat, qui eum undique de sua valetudine consulturi conveniebant: quibuscum haud secus agebat, ac si pretium quodvis a confluentibus laturus esset amplissimum: quin plerisque saepenumero, ut praescriptas curationes susciperent, aere ipse suo subveniebat. Quamvis senex, et perquam multis negotiis distractus, nunquam destitit quin Nosocomia inviseret, *Incurabilium* (quod vocant) praecipue, si quis difficilis casus urgensve suam forte praesentiam requireret. Nec semel, aut iterum pauperibus in eo Nosocomio aegrotantibus lintea fasciolasque subministravit. Tandem testamento, locum ipsum haeredem dimidio ex asse magnis sibi laboribus comparato, reliquit; quasi debitum illi exsolvens unde uberiora institutionis incrementa desumserat.

Sed jam inde ab anno 1818 tanti labores sanitatem eius adeo labefactarunt, ut hemiplegia cor-

riperetur. Verum subsequuta febris morbum solvit : non tamen in tantum ut ipsius seminium non delituerit : ac proinde mense Martio, anno 1822, prostratis, parvo fere temporis momento, viribus, tandem pridie nonas Octobris animam quam innocuam exhalavit, octogesimo sexto aetatis suae anno.

Non crediderim vel unum quempiam in civitate fuisse qui Cotunnii mortem non aegerrime tulerit. Pluribus vero egenorum familiis, quas sibi praestanti liberalitate devinxerat, tum tristis, tum diuturnus ex eius obitu haesit dolor.

Exuviae tanti viri in Ecclesia Patrum Missionis tumulatae, quae erat ejus domui contigua, jacent adhuc sine ullo honore, nisi quem ipsius nomen et virtus apud universos, tum cives, tum convenas alit, longo quidem tempore duraturum. Decedentis Cotunnii memoriam Epicedia, Epigrammata, Orationes, Ellogia, quasi moerentium ingeniorum studiis effusissimis, prosequuta sunt. Incurabilium praeterea Nosocomium tanto suo filio, tum de se potissimum optime merito, simulacrum marmoreum, loco intra suos parietes conspicuo, ponendum curavit.

DOMINICI COTUNNII

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS

DE

AQUAEDUCTIBUS

AURIS HUMANAE

INTERNAE

ANATOMICA DISSERTATIO.

NEAPOLI,

Ex Officina Bibliographica et Typographica

M. DCCC. XXVI.

Juvat integros accedere fontes
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores.

T. Lucretius Carus, lib. 4.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO VIRO

MARCO ANTONIO

COLUMNAE

EQUITI AURATO,

UTRIUSQUE SICILIAE REGIS

INTIMO CUBICULARIO,

PRINCIPI ALIANENSIUM,

EX PRINCIPIBUS STILIANENSIUM,

ETC. ETC.

DOMINICUS COTUNNIUS.

Non diu quaerendum mihi fuit, Excellentissime Princeps, cujus potissimum patrocinio fultum, hunc ego primum ingenii fructum libertate donarem, quandoquidem Tu mihi semper unus videbare, quem id officii genus quasi foedere facto expostulabat. Nam quae mihi duo erant potissimum optanda, ea ambo, ad alios separata, et manca, ad Te autem

unum, summa quidem, atque conjuncta pertinere videbantur. Timidae optabam, recentique opellae, in lucem proditurae virtutis maximae patronum, qui ipsam nativa imbecillitate labantem sustineret: benemerentem optabam, cui longe supra vires obstrictus grati saltem animi sensus publico explicarem monumento. Horum autem primum, a quo erat homine, nisi a Te potissime, expectandum? Nam si ad hoc generis nobilitas facit, Tu ex summo Columnensium genere es; si honores, Te, quos expetere datum est, scimus omnes in prima aetate fere exhausisse; si tandem auctoritas, ea tanta in Te est, quantam parere solent, justitia, liberalitas, beneficentia, fides, quarum virtutum copia splendescis. Alterum vero ita Te spectat, ut certe non sit, qui hoc pariter lubens sibi vindicet. Eccuinam ego prae Te maxime devinctus vivam, si Te uno in primis auspice, vix unde vicesimum aetatis annum ingressus, in principe hujus urbis Valetudinario, medici munus, publico mihi certamine decretum, etsi dicentibus contra plurimis, assecutus sum; si magno illi, in quo me collocasti, artis emporio. Tua cum primis opera, constituta insigni Academia, extructo Anatomico Theatro, concitata ad meliora studia juventute, praemiorum maxi-

me adminiculo, in meliorem fortunam erecto, omnes, quales ii cumque sint, profectus debeo; si me Tibi ante certamen illud ignotum domi saepe forisque benevolentia summa complexus es? Has igitur Excellentissime Princeps laborum primitias, quas Tuum in fronte inscriptas nomen Tibi jure devoveo, tueare, ut Tibi sacras, utque genuinum et verax grati animi pignus benigniter complectare. Afferunt enim illud unum, quod expectare potes ab homine, qui tuis unice dives beneficiis, cetera inops est, optimam nempe voluntatem. Qua ego ita in Te feror, ut cum alia desperem, vota persequar. Scilicet ut Te, summo reipublicae bono natum, Tuae servent virtuti incolumem diutissime superi, ut pergas virtute Tua beare nos; atque parentes Tuos, publicae venerationis simulacra, viva imagine referre. Ut cum sapientissima Uxore Tua, quae principum feminarum ornamentum est et decus, prolem lectissimam, patriae spem, quae vestrum ad exemplar videtur efficta, nova illa, sed vera, optimisque probata, educatione, pergas instituere. Ut litteras, quibus, illustri exemplo in viro principe, et curis tum publicis, tum privatis undique districto, longe ornatus es; atque Litteratorum commoda promovere non desinas, qui ad

Te, tanquam ad praesidium et dulce decus suum, confugiunt, quique in Tua instructissima bibliotheca sibi asylum videntur comparasse. Vale igitur patriae honor, saeculi decus et ornamentum, litterarum, Litteratorumque pater, meque, uti antehac abunde facere, benignitate pura consuesti, Tuo fovere ne desinas patrocinio.

Neapoli Calendis Decembribus MDCCLX.

PRAEFATIO.

Egregiam semper, longeque praeclaram suae dedere operam arti humani corporis fabricae scrutatores, cum a promiscuo partium omnium examine, ad peculiarem particulam, sive usu praestantiorem, sive structura maxime reconditam, singulari industria, studioque perlustrandam transierunt. Ita namque factum est, ut circa simplicius objectum versati, et plura perspexerint, et singularium praecipui alicujus organi partium, situm, formam, fabricam, relationem, et usum diligentius pervestigarint. Quod cum nostra praesertim aetate in plurimis partibus, et quidem praestantioribus sit factitatum, ita res anatomica ab humili fere pervenit ad summum, ut facile videatur, quod natura fert in omnibus rebus, eam tandem fastigium assecutam constitisse. Merentur tamen orga-

na sensuum inter partes hac methodo illustratas primo loco recenseri, quasi gratificatio quaedam in ea praecipue organa perlustranda duxisset anatomicos, quorum una facultate erudiebantur. Inter haec autem, primae debentur partes auditus organo, quod maxime meruit principum Anatomicorum attentionem. Nam sufficiet Fallopium nominasse, Eustachium, Casserium, Folium, du Verneyum, Valsalvam, Cassebohmium, ac virum tandem fama, et meritis illustrem Joannem Baptistam Morgagnum, qui aut curatius de auris humanae fabrica, aut de hac praecipue, peculiaria volumina, cedroque digna, conscripsere, ut cognoscatur, quo pervenisse debuerit fabricae tanti organi notitia. Mirum proinde, vel rerum gnarissimis, videri poterit, valuisse me aliquid de hoc organo proferre, quod tantorum Anatomicorum attentionem praeterierit. Aquaeductus enim auris internae exponere aggressus sum, quales adhuc inauditi. Sed et de aure post Fallopium inaudita protulit Eustachius,

nova post hunc Casserius, novaque Folius, meliora Du Verneyus, illustriora Valsalva, et Cassebohmius, ac pleraque longe, post tot tantosque viros, definita, Morgagnus. Nempe, quia naturam nunquam sine fructu consulimus, nec post mille saecula praecludetur inquirentibus occasio nova detegendi.

Equidem vero in his ego paginis, quarum lectionem censoribus omnibus committo, candidus rerum naturam enarravi, qualis mihi non semel, aut bis, sed centies visa. Canales in aure interna (quo ego nomine unicum sumsi labyrinthum, relicto auris exterioris nomine auriculae, et meatui auditorio, et auris mediae tympano) duos detexisse mihi visus sum, dixique ab officio *aquaeductus*; et ne proposita eorum fabrica, quasi nullius, aut despiciendae utilitatis essent, usum callide praeteriisse viderer, hunc simul attexui. Hoc ut facerem sequenti ratione exorsus sum. Descripsi primum labyrinthi fabricam breviter, sed qua maxima cura potui, tum nervi mollis in-

gressum ad hunc, divisionemque. Hunc autem nervum, septum adumbratum Cl. Morgagno (*), verum tamen integrumque facere intra vestibulum demonstravi; a quo cavitas haec bipartita est. Tum nullum esse, aut penetrare posse aërem, contra omnium sententiam, intra labyrinthum, evici, sed humore hunc integre plenum esse. Consideravi stapedis motum in omnis undae aëreae impulsione, eumque demonstravi, communicari vestibuli humori, et per hunc nervos contentos unice soni vim haurire. Ex his omnibus, simplicissimo continuatoque ratiocinio, canalium semicircularium usum deduxi, ac tandem aquaeductuum necessitatem, quibus absentibus, omnis audiendi facultas adimeretur. Hos demum aquaeductus descripsi, eorumque historia tradita, collectis omnibus, ultimo breviter, sed nova ratione, explicavi, quid fiat intra nos, cum audimus, et cur nervos auditui destinatos

(*) Epist. Anat. XII. §. 52.

humore undique coërceri, non aëre, fuit necesse. Quae omnia in capitum summa dissertationi praemissa speciatim expressa sunt.

In his omnibus uni naturae credidi, quam continuo praesentem habui scribens. Hoc facile mihi fuit in ea cadaverum opportunitate, quam magnum hoc, in quo medicinam facio, Urbis valetudinarium mihi exhibuit. Iconum autem Tabulas adjunxi duas, quas ad rem, de qua scripsi, declarandam, sufficere judicavi. Has ab ipsa natura expressit amicissimus vir. Phil. et Med. Doct. Dominicus Cyrillus: calcographi vero attentionem, naturali objecto, picturaque praepositis, sollicitus fatigavi, et futurum spero, ut, si non elegantia, veritate tamen, minime sint gnaris displiciturae. Inter has, apicis cochleae novam iconem dedi, propria manu pictam, qua quid praestitum sit judicabunt periti.

Rogo autem omnes obtestorque, quibus has volvendi paginas occasio fiet, ne de re quavis lecta judicium illico pro-

ferant suum, sed paullulum sustineant, donec integram libelli lectionem exegerint. Si cunctis vero perlectis erit, in quo haereat ipsis aqua, adeant rogo naturam, eamque praejudicio vacui consulant. Id autem non semel faciant, aut bis, sed pluries, et continenter: exhibet namque natura tales haud raro varietates, ut sine magno dissectionum numero, quid pro constanti habendum sit, quid pro raro, comperiri non possit. Si plura tamen hic strictim presseque tradita videbuntur, id de industria factum habeatur, ne aquaeductus auris internae exponere aggressi, integrum de aure librum conscripsisse videremur. Quae hic tamen praetermisi, fusius majori opere explicabo, quod si per iconum difficultatem, copiamque, licuerit, propediem, utpote jam paratum, lucem aspiciet.

Nequeo autem non et hic, rem summi hercle momenti, quam et alibi maxime urgere coactus sum, admonere, ut qui, traditarum a nobis rerum, veritatem in ipso cadavere quaerere necessarium sibi du-

cent, et exercitati sint in hujus potissimum partis dissectione, et auribus utantur recens a cadavere depromptis. Nihil est enim aliud, quod nervosas vestibuli expansiones deterius pessundet, quam siccitas. Ea verum methodo partes dissecent, quae situ in suo cuncta servet; multa namque concipi non possunt, nisi situs ratio, a qua unice dependent, sarta tectaque habeatur. Haec autem, si in omnibus, de quibus scripsi, partibus investigandis, necessaria habenda sunt, in septi vestibuli nervosi, canaliumque semicircularium positus perlustratione, potissima sunt certe judicanda.

Errata aliquot typographica, etsi maximam, quam potui, attentionem impenderim, invite attamen irrepsere, didicique nolens, in hoc rerum genere devitari omnino non posse. Ea vero quaecumque sint, etsi potiora mihique perspecta in operis calce adnotaverim, per se corrigant viri docti, dentque pro iis veniam fatenti. Solet enim facile fieri, ut dum releguntur impressae paginae ab

eo, cui res contentae magis cordi sunt, verba non prorsus advertantur.

De re difficillima scripsi, quae sane facundiae minime capax erat; hinc mihi nullus quaeso vitio vertat, si non florido admodum stilo sum usus. Scripsi vero non pingui, altoque sedens in otio, sed curis et plurimis distractus, et permolestis, quae sive officii, sive meae vitae rationes sequebantur. Hinc, dum has volvo paginas, fateor me pluries, in ratione scribendi, mihi maxime displicere. Sed ignoscant rogo, quidquid peccatum est, viri docti, quorum ego judicium praecipue reformido, et humanitatem meam excusent. Spes autem fortasse est, eum, qui lustrum quintum non exegit, et majora dare conatus, tenuia haec tamen rudiaque promit, aetatis incremento, doctorumque virorum benignitate erectum, aliquando daturum meliora.

CAPITUM SUMMA.

I. Quid adhuc aquaeductus nomine in aure intellexerint Anatomici, et quos canales eo simus nomine descripturi.

II. Quid tympani fundus : fenestrae ovalis, et rotundae p situs : pelvis fenestrae illius, et proprietates.

III. Vestibulum, ejusque mensura ; cavitas in eo hemisphaerica, et semiovalis, cum spina intermedia, cujus in fine pyramis.

IV. Sex foramina intra vestibulum pateut, excepta fenestra ovali, quorum unum ad cochleam spectat, quinque reliqua, trium canalium semicircularium extrema sunt.

V. Nomina canalium semicircularium, cum descriptione ejus, qui superior est.

VI. Descriptio canalis semicircularis posterioris.

VII. Canalis communis.

VIII. Canalis superior, posterior, et communis tribus orificiis intra vestibulum patent, horumque orificiorum distantia inter se.

IX. Canalis semicircularis exterior.

X. Fenestrae rotundae forma : cochlea, ejusque tuber intra tympanum : modiolus : situs omnium partium labyrinthi.

XI. Quomodo modiolus primum cochleae gyrum, et medietatem primam secundi gyri tantum complet.

XII. Infundibuli in apice cochleae generatio, et forma.

XIII. Cupula infundibuli cochleae.

XIV. Laminae spiralis, ejusque gyri albi descriptio.

XV. Rostrum in quod desinit intra infundibulum gyrus albus laminae spiralis.

XVI. Periostium labyrinthi : zona cochleae : scalarum in cochlea generatio.

XVII. Rostrum, sive hamulus zonae cochleae, ejusque adhaesio : tubi infundibuli generatio.

XVIII. Foramen triangulare constans est intra tubum infundibuli : ejus generatio : et communicatio per hoc foramen scalarum cochleae.

XIX. Membrana, quae claudit fenestram rotundam.

XX. Gyrorum cochleae, et modioli mensura.

XXI Scalarum diversae longitudinis, et capacitatis caussae.

XXII. Nervi paris septimi, eorumque canalis communis.

XXIII. Indumenta canalis communis, et nervorum: nervique duri decursus.

XXIV. Trium fasciculorum nervi mollis anterior ad cochleam pertinet, et foveam ingreditur basis modioli.

XXV. Fascis hic quomodo suam foveam ingrediatur, penetretque in cochleam.

XXVI. Fascium superiorum nervi mollis anterior intrat vestibulum, et intra illud expanditur, septumque integrum facit, quo generantur in vestibulo cavitates duae.

XXVII. Septi vestibuli forma, et proprietates.

XXVIII. Fascium superiorum nervi mollis posterior.

XXIX. Tota labyrinthi cavitas humore est plena, et aër naturaliter semper abest, nec penetrare in eam potest.

XXX. Plerarumque opinionum circa superius adnotata commentum.

XXXI. Humor labyrinthum implens est fumus arteriarum.

XXXII. Cur osse acustici nervi conclusi sunt.

XXXIII. Cur data cavitas tympani: ejusque membranae descriptio: ossiumque catena intra tympanum posita.

XXIV. Mallei brevis descriptio: ejus motus rotatorius: usus processus Foliani, qui axis est circa quem malleus vertitur: descriptio incudis, ossis lenticularis, et stapedis.

XXXV. Ossiculorum tympani motus: eorum musculi: stapedis ingressus intra vestibulum sola posteriori parte basis fit, anteriori immobili, quia ligamento firmata.

XXXVI. Basis stapedis alligatur ambitui fenestrae ovalis, nullo hiatu intercedente.

XXXVII. Apophysis triangularis anterioris extremi basis stapedis ex parte vestibuli.

XXXVIII. Cur in motu stapedis, humor vestibuli emergere non potest, et tympanum ingredi.

XXXIX. In omni motu stapedis humor vestibuli urget septum nervosum, convexumque facit, et anterioris cavitatis humor cedit,

fugiens aliqua parte in cavitatem posteriorem.

XL. Quanta sit convexitas septi nervosi: quantum spatii stapes decurrat, et cur: quantum convexitas septi duret.

XLI. Restitutio septi in pristinum situm fit restituto humore cavitati anteriori.

XLII. Ut convexum fiat septum, per declivem canalem externum humoris pars fugit.

XLIII. Ut septum restituatur, per verticalem superiorem canalem, humor perditus, anteriori caveae restituitur.

XLIV. Impellitur septum, quoties et stapes, repellitur, quoties situi suo stapes redditur: humoris anterioris caveae, et superioris canalis frequens est jactura.

XLV. Restituitur superiori canali humor ab humore caveae posterioris, motu eodem stapedis, per communem canalem impulso.

XLVI. Quomodo haec restitutio fit.

XLVII. Cur a canale communi oritur canalis semicircularis posterior: ubi derivatur pars humoris in scalam vestibuli impulsi.

XLVIII. Humor labyrinthi circulat, et ita uno impulsu stapedis omnes labyrinthi nervi agitantur.

XLIX. Nervi ab uno vestibuli humore impressionem stapedis suscipiunt: necessitas septi nervosi.

L. Septum datum plerisque animalibus; sed amplius homini, qui et vestibulum, et canales semicirculares majoris luminis obtinet.

LI. Vestibuli, canalium semicircularium, cochleaeque situs pro septo nervoso factus.

LII. Statuitur usus canalium semicircularium: refellitur Senaci opinio: respondetur quaestionibus Cassebohmii, et Boerhaavii.

LIII. Praeparationes Anatomicae necessariae pro iis, quae diximus, observandis.

LIV. Duo paradoxa ex dictis hactenus derivantia, si nullae viae humorem vestibuli, et cochleae derivarent.

LV. Has vias aquaeductus ab officio nobis dictas revera NATURA fecit.

LVI. Origo aquaeductus vestibuli a cavitate sulciformi Morgagni.

LVII. Aliqua addita Morgagnianae descriptioni.

LVIII. Usus hujus fo-

raminis, orificii aquaeductus vestibuli nomine insignendi, ignoratus Morgagno.

LIX. Integri aquaeductus vestibuli ab hoc orificio decursus.

LX. Induitur hic aquaeductus exteriori lamina durae matris, et in orificio habet tenue tentorium.

LXI. Finis aquaeductus cavitate excipitur, inter laminas durae matris, posita.

LXII. Quomodo dicta in cadavere detegenda.

LXIII. Experimenta, seta in aquaeductum immissa, instituta.

LXIV. Duo sunt partes aquaeductus vestibuli. Experimenta injectione facta.

LXV. Vasa a cavitate aquaeductus membranea ad sinum lateralem injectione detecta.

LXVI. Haec vasa sunt venae inhalantes.

LXVII. Fabrica aquaeductus vestibuli in fetu.

LXVIII. Quomodo hunc ego aquaeductum invenerim.

LXIX. Qualis sit hic aquaeductus in brutis.

LXX. Per hunc plenus labyrinthus humore, tantum exoneratur, quantum est satis ad liberam motionem nervorum.

LXXI. Necessitas cochleae aquaeductus, et cur clausa scala tympani ad fenestram rotundam.

LXXII. Cur fenestra rotunda membrana, non osse clausa.

LXXIII. Cochleae aquaeductus oritur a foramine posito in scala tympani prope fenestram rotundam, plurimis viso.

LXXIV. Fenestra rotunda ex hujus foraminis parte ligulam osseam educit.

LXXV. Aquaeductus cochleae duo sunt orificia: quorum inferiori continuatur semicanalis.

LXXVI. Janua aquaeductus cochleae arcum refert.

LXXVII. Dura mater investit cochleae aquaeductum: tentorium foraminis optici: origo periostii labyrinthi.

LXXVIII. Experimenta pro meabilitate hujus aquaeductus, seta, et injectione, instituta.

LXXIX. Experimenta alia duo.

LXXX. Anterior portio octavi nervorum cerebri paris sub janua transit cochleae aquaeductus, et it ad linguam.

LXXXI. Quomodo hunc ego aquaeductum invenerim.

LXXXII. Cur orificium superius hujus aquaeductus,

vasorum transitui ab omnibus adhuc destinatum: vera venae cochleae insertio ei vicinissima est: hujus venae situs.

LXXXIII. Vena vestibuli: arteriae vestibuli, et cochleae.

LXXXIV. Forma aquaeductus cochleae in fetu, et brutis.

LXXXV. Usus cochleae aquaeductus, et via, per quam ejus humor in calvariam excretus redditur sanguini.

LXXXVI. Sinus vaginales nervorum cerebri, venae durae matris inhalantes.

LXXXVII. Auditus functio breviter ex integro explicari incipitur: et primo quae fiant, a vibratione sonori corporis, ad stapedis introitum intra vestibulum.

LXXXVIII. Usus chordae tympani

LXXXIX. Quomodo stapes humorem vestibuli movet, ut nervi impulsum sentiant.

XC. In qua re recte audiendi facultas collocetur.

XCI Quomodo hanc audiendi facultatem tuita sit natura.

XCII. Alia septi nervosi in vestibulo necessitas: cochlea cymbalo comparata: septi, cochleaeque usus.

XCIII. Quomodo perditus, per aquaeductum cochleae, et vestibuli, humor labyrinthio reddatur.

XCIV. Caussae tinnitus aurium potiores.

Digitized by Google

DE

AQUAEDUCTIBUS

AURIS HUMANAE INTERNAE

ANATOMICA DISSERTATIO.

I. Nomen aquaeductus, quo non antea detectos auris humanae internae canales insignivi, etsi longo jam ex tempore in auris fabricae historia usurpatum videri posset, ab nemine in hac tamen ita pronuntiatum est, ut canalem ea voce intelligeret, aqueo humori vehendo destinatum. Si etenim Fallopius canalem, quem graeci τυφλὸν, sive caecum appellaverant, quia ut scripsit Vesalius, *anfractuum, et sui incessus labyrinthorum occasione, impulsam ipsi setam, aut plumbeum filum, non prompte ad auditus usque organi cavitatem transmitteret* (a), novo nomine *aquaeductum* appellavit, id non ideo fecisse constat, quasi pro dura quinti jam suo tempore, nunc septimi paris nervorum cerebri parte, aquosum vehere humorem opinare-

(a) De humani corporis fabr. lib. I. cap. XII. p. m. 46, tom. I. Ed. Batav.

tur, sed a similitudine permotum, quam cum urbium aquaeductibus, suo hic canalis progressu repraesentabat (*b*). Si clarissimi ceterum alii, et suis meritis laudatissimi Viri, aquaeductus nomen ad Eustachii tubam traduxerunt, quemadmodum fuse ab illustri Morgagno ostensum est (*c*); id aut non bene cognitis, atque distinctis utrisque canalibus, aut si cognitis, nimis eo nomine licenter usi videntur effecisse. Quae faciunt, ut credam, me non esse nominis hujus proprietate abusum; cum canalibus aptavi, qui aquaeductuum, et formam, et officium, omni ex parte sibi vindicant. Est etenim a vestibulo via, quae per medium currens os petrosum, humorem illius cavo contentum, in proximum lateralem sinum durae matris, stato tempore derivat, quam ego *vestibuli aquaeductum* appello: est pariter altera, quae a cochlea similem humorem in calvariae cavum proprio tempore defert, quam *cochleae* nomino *aquaeductum*. Horum, neque ortus poterit, neque usus intelligi, nisi antea perbrevem auris internae descriptionem proposuero.

II. Cavitatis tympani paries interior, quem *fundum* aptissime nominaveris, non perpendicularis est horizonti, sed superiori parte, et po-

---

(b) Observ. Anat. p.m. 28.

(c) Epist. Anat. VII §. 10.

stica, extrorsum inclinatur. In eo duo foramina, quae fenestrae dicuntur, aperta sunt, quibus a figura nomen est datum. Aliud enim ovale, *fenestra* dicitur *ovalis*, rotundiori aliud gaudens lumine, *rotundae fenestrae* nomen accepit. Ovalis fenestra (*d*), quae rotunda superior est, non in ipso parietis tympani plano aperitur; sed excavatur primum ille paries in *ovalem pelvim* (*e*), quae retrorsum integra saepe linea profunda est, antrorsum ⅔ lineae partibus: in cujus fundo sensim arctiori, ovalis fenestra modice plano margine, antrorsum praecipue coronata aperitur. Haec longiori axe horizonti parallela est, et semicircularis rectius diceretur, nisi margo inferior, quae pro diametro esset, aut in sui medio, aut maxime retrorsum gibba evadens (*f*), a rectitudine deflecteret diametro propria; ac curva reliquum fenestrae ambitum limitans, ad extremitatem fenestrae anteriorem elatior facta (*g*), ejus inibi lumen adangeret. Varia tamen pelvis profunditas efficit, ut anterior hujus fenestrae pars versus tympanum vergat, introrsumque posterior.

III. Fenestra ovalis (11) in ampliorem interioremque caveam ducit prope ovalem, quae eum ad labyrintheas veluti vias aditum det,

---

(d) Tab. 1. fig. 6. a. (f) Ibidem. c.
(e) Ibidem. d d. (g) Ibidem. b.

optissime *vestibulum* nominatur (*h*). Hoc adjacet quidem fenestrae ovali, ac tympani fundo parallelum est, et capacius est, qua anteriorem ejus extremitatem, quam qua posteriorem respicit. Axis vestibuli major, qui parallelus est horizonti, duas saepe lineas aequat, minor qui perpendicularis 1 1/2, profunditas ejus media sive distantia ab ovali fenestra ad vestibuli fundum, lineam 1 2/3 adaequat: quamquam aliquando perpendiculari axi aequalis sit. Latiorem vestibuli partem foveae perficiunt duae in ejus superficie excavatae, quarum una eaque inferior proxima est anteriori fenestrae ovalis extremo, perque vestibuli pavimentum expanditur (*i*), et quia circulari fere margine terminata ab illustri Morgagno *hemisphaerica* dicta est; superior altera (*k*) hanc sequitur, elliptico prope ambitu donata, quae introrsum, retrorsumque ab exteriori, anteriorique vestibuli parte elongata est, ac *semiovalis* eidem est dicta (*l*). Ex his profundior hemisphaerica, et subfusco pellucidoque fundo donata est, qui inferius, extrorsumque ovali alba macula, veluti excrescente crassiori substantia opacatur; semiovalis tota levis permanet. Intercedit inter utramque caveam, at-

(h) Tab. 1. fig. 3. c.
(i) Ibidem. h.
(k) Tab. 1. fig. 3. g.
(l) Epistola Anatomica XII. §. 5.

que discrimen ponit satis *eminens spina* (*m*), quae a vestibuli fundo, antrorsum extrorsumque defertur, sensim extantior, ibique terminatur, quo superior fenestrae ovalis margo elatior fit (11). Hunc spinae terminum *pyramis* osseae parva complet, quae a triangulari basi orta in cavum vestibuli attollitur, 1/2 et ultra saepe lineae parte elongata: cujus frequenter apex utrinque compressus, margine gaudet denticulis tubulatis exasperato (*n*).

IV. Quod de vestibuli cavea reliquum est, tota nempe superior, et postica pars, id omne constanter sex pertunditur foraminibus; quorum ultimum omnium infimum et posterius, rectiorique margini fenestrae ovalis subjacens, ducit ad cochleam (x), quinque reliqua ad vias aliquot in medio petroso osse excavatas. Viae istae sunt tres canales, qui ab uno eorum foraminum orti, parvo per medium os petrosum facto excursu, continua curvitate in vestibulum redeunt, novoque in eo foramine aperiuntur. Dicunt a curvitate decursus *canales semicirculares*, quamquam singuli semicirculum excedant. Neque mirandum, si tres canales ambobus omnes extremis in vestibulum pateant, et non sex, sed quinque efficiant foramina: eorum etenim duo reliquo per se longiores, uno extremo conjuncti,

(m) Tab. 1, fig. 3. i. (n) Ibidem. k.

in communem canalem (VII), qui vestibulum perforat, terminantur.

V. His canalibus nomen a longitudine dari posset: sed haec saepe varia rectae illorum intelligentiae obstaret. A situ ergo, qui constantior est, eorum commodius nomina repetuntur. Hinc *superiorem* unum, *posteriorem* alterum, ultimum *externum* nominabimus. Qui superior est (*o*), ab anteriori et superiori vestibuli parte oritur, et supra planum reliquorum canalium elevatus, in fere verticalem horizonti curvam inclinatur. Hic versus posteriorem fundi vestibuli partem contendit; a qua duas circiter lineas distans, cum posteriore canali coit in canalem communem (*p*). Ejus in origine lumen ellipticum frequenter est, retrorsum longius; et ab ea per lineam prope integram, canalis undique dilatatur, ea parte excepta, quae canalis exterioris attingit originem. Ellipticus reliquo tractu est, sed saepe varius. Ejus longitudinis axis parum quinque lineas excedit. Hic si in integra calvariae basi utraque in aure contemplatur, antrorsum et sursum cum compare divergit, inferius contra convergit, et retrorsum.

VI. Ubi terminat canalis superior, duabus lineis a vestibulo distans, ibi oritur posterior (*q*),

(o) Tab 1. fig. 2. c. fig. 3. b. fig. 4. e. fig. 6. i.

(p) Tab. 1. fig. 2. * (q) Ibid. dd. fig. 3. c. fig. 4. f. fig. 6. k.

cum eo inoculatus, ad angulum extrorsum graduum prope 100. Inde exteriora versus facto arcu, cujus medietas supra, reliquum infra planum est canalis externi (IX), in posteriorem, simulque inferiorem, et externam vestibuli partem aperitur. Prope hoc sibi proprium orificium, per lineam fere suae longitudinis, expanditur ultra canalis undequaque; sed qua canalis externi orificium posterius respicit, sursum nempe, minus, deorsum maxime, ubi fere in eodem cum pavimento vestibuli plano est, quo versus saepissime protenditur. Ejus longitudinis axis, etsi variis varius, lineas attamen septem saepe excedit. Orificium autem proprium est pariter elliptica sectione, quae introrsum longior, et saepe proprio superioris canalis orificio minor.

VII. Coeuntes hi duo canales (V, VI) tubum generant perbrevem, qui nempe per duas prope lineas descendens, in vestibuli fundo posterius introrsumque aperitur. Infundibuli forma ei data est. In ipso namque canalium occursu lumina commiscentur, et amplam in pelvim coalescunt ambobus parem canalium luminibus, quae sensim in cylindricum tubum coarctata, circulari foramine (*r*) in vestibulo desinit. Dicunt apte *canalem communem* (*s*). Sive enim supe-

(r) Tab. 1. fig. 3. f. (s) Tab. 1. fig. 2. f.

rior, sive posterior canalis conspiciatur; singuli cum communi canale, continuam videntur curvitatem sequi. Ita duo canales ambobus extremis cum vestibulo communicant, et tribus hoc foraminibus aperiunt. Communis autem canalis foramen posteriori fenestrae ovalis extremo e directo respondet.

VIII. Tria haec foramina, quibus jam descripti canales in vestibulum patent, neque aequaliter distant inter se, neque eadem in omnibus ratione. Nam inter proprium superioris canalis orificium, et commune linea 1 $^1/_2$ saepe intercedit, inter hoc vero, et proprium canalis posterioris, in aliquibus lineae unius in aliis $^1/_2$, in quibusdam $^1/_3$ spatium intercessit. Quae omnia ostendunt, quanta sit diversitas in canalium longitudine pro subjectorum diversitate, ac in majori proinde singulorum curvitate, aut minori. Illud est constans, chordam quam concipimus extremis subtensam canalis superioris, parallelam horizonti esse, illam vero, quae posteriori subtenditur, verticalem.

IX. Qui reliquus est exterior omnium canalis semicircularis (t) parallelus tota ferme longitudine sua esset horizonti, nisi retrorsum parumper declinaret. Positus tamen est in intervallo duorum canalium superius descriptorum

(t) Tab. 1. fig. 2. c. fig. 3. d. fig. 6. h.

(v , vi). Oritur anterius a superiori vestibuli parte, quae proprium superioris canalis orificium, et ovalem fenestram intercedit, desinitque in posteriori parte vestibuli, supra intervallum, quod inter proprium est posterioris canalis, et communis orificium. In ortu peramplo, elliptico, retrorsumque longiori foramine gaudet, quod acutissimi aggeris interventu, a proprio superioris canalis orificio, quod fere adaequat, distinguitur, cum quo angulum graduum prope 70 intercipit. Posterior autem terminus in arctius desinit rotundiusque foramen, et saepe ½ prioris. Quae amplitudinis differentia in reliquo canalis decursu est manifesta, nam dimidia anteriori suae longitudinis parte capacior est, in reliqua coarctatur. Hujus longitudinis axis sex lineas saepissime adaequat.

X. Fenestra autem rotunda, quam sub ovali diximus (ii) in tympano aperiri, sub posteriori proprie termino pelvis fenestrae illius posita est; lumineque gaudet non plane circulari, sed potius parabolico, et posteriora versus integre patente (*u*). Sextum vero foramen, quod in vestibulo diximus adesse (iv), et ad cochleam spectare, sub recto margine fenestrae ovalis immediate positum est, atque e directo vicinissime imminet fenestrae rotundae. Haec

(u) Tab. i. fig. 6. e.

duo igitur foramina sub inferiori pelvis pariete, veluti sub *communi fornice* communicantia, originem tubo dant, qui antrorsum, introrsumque elongatus, cornui persimilis, sursum intorquetur in conicam spiram, duos integros gyros cum dimidio complens (*x*). Conica haec spira in tympani fundo erecta est, ubi ossea crusta occultatur, *tuber* efformans ingressui Eustachianae tubae positum e directo (*y*). Dicunt hunc tubum aptissime *cochleam*. Haec latior in ortu, quam in fine est, et centrum sive axim, circa quem intorquetur osse plenum habet, quod conice decrescit. *Nucleum* sive *modiolum* appellitant, cujus basis cava retrorsum ad medium occiput conversa est, apex antrorsum, extrorsumque, et paullo deorsum tempus sui lateris prospicit. Patet inde canales semicirculares, vestibulum, et cochleam sibi ordine succedere. Summo etenim loco extrorsum, retrorsumque canales sunt, inferiori, anteriorique vestibulum, infimo omnium, et anteriori cochlea. Tria haec uno nomine *labyrinthum* dicere consueverunt (*z*).

XI. Sequentia vero percipienda sunt, ut cochleae fabrica intelligatur. Tubus nempe ex quo cochlea fit, ea parte qua modiolum respicit, nempe margine concavo, ab origine ad fi-

---

(x) Tab. 1. fig. 3. n. (z) Tab. 1. fig. 3.
(y) Tab. 1. fig 6. g.

nem interruptus, hiatu longitudinali aperitur. Hanc interruptionem modiolus intrat, tubique ambitum perficit. Gyrus vero primus in ortu amplus est, ut diametrum tamen lineae raro excedat, maxime supra fenestram rotundam, ubi extrorsum valde protuberat, inde ad finem usque cylindricus prope decurrit (*a*). Gyrus alter, qui ejusdem tubi continuatione perficitur, non supra planum prioris positus est, sed maxima parte intra prioris ambitum clauditur, et parum summo pariete supra priorem attollitur. Hic dum intra primum gyrum vertitur cum eo connexus est, primum intercedente ossea conspicua substantia (*b*) cum ea continua, qua cochlea extrorsum est obducta (x); mox immediata accretione parietis hujus gyri cum pariete prioris, intra quem ducitur (*c*). Diameter ab ortu ad finem in hoc altero gyro, etsi prioris gyri diametro minor, tamen aequabiliter decurrit, atque cylindricus dici posse videtur. Modiolus vero medietatem primam hujus gyri complet; nam altera medietas, cum ultimo semigyro, modiolo carent. Carent autem ita. Desinente modiolo, ubi secundi gyri prima medietas desinit, tubus reliquus ad ultimi semigyri finem usque, hiatum modiolo adimplendum maxime dilatat.

(a) Tab. 1. fig. 5. a a. (c) Ibidem. t.
(b) Tab. 1. fig. 3. s.

Hoc peracto, tubi partes hiatum illum intercipientes sequenti ratione disponuntur.

XII. Pars inferior supposito primo gyro, intra cujus ambitum ducitur, applicata, ejusdem exteriori convexitati se accommodat: adeoque versus centrum circa quod ducitur fit declivis. Hoc vero centrum axis modioli est, qui osse est plenus. Deinde sic completo secundo gyro, eadem declivitate ascendit, applicata similiter integrae priori medietati gyri secundi, ad cujus extremitatem cum pervenit, nempe supra locum quo desinit modiolus, et ipsa terminatur omnino. Ita circa apicem axis modioli *infundibulum* fit (*d*), cujus pelvis circularis, a medietate ultima secundi gyri, et semigyro perficitur, tubus a centro (*e*), in quo declivitas illa convergit.

XIII. Pars vero tubi superior (quod maxime percipere oportet) non procedit continuata ex reliquo integro tubo, sed quasi facta incisione ab eodem separatur, libereque supra planum attollitur secundi gyri. Haec in orbem expansa supra infundibulum dictum (XII) *cupulam* efformat (*f*), quae commune caelum, et medietati postremae secundi, et ultimo semigyro constituit. Igitur secundus gyrus, ubi modiolus de-

---

(d) Tab. I. fig. 7.
(e) Ibid. c.
(f) Tab. I. fig. 3. u.

sinit resecto margine gaudet, qui in infundibulo conspicuus est. In hoc margine semigyrus arctissime applicatus finem habet (XII). Patet inde, pelvim infundibuli, circulum non continuatum esse, sed interruptum; uno extremo deorsum cum inferiori pariete secundi gyri continuo, altero sursum in margine parietis superioris ejusdem gyri desinente (g).

XIV. Est tamen in cavo tubi cochleam facientis septum quoddam, in duas partes secundum longitudinem, ab origine ad finem illum descernens. Oritur hoc a medio toto intervallo amborum foraminum, a quibus cochlea incipit (X); quod vestibuli pavimento continuatur, et ferè ad $^2/_3$ lineae partes expansum, ad parvam distantiam a communi eorum fornice (X) desinit. In hac origine deorsum incurvum est, ibique maxime elevatum, quo cochleae tubus in origine ista fit elatior (XI). Inde septum a tota modioli longitudine emergit, non ad angulos semper rectos, sed ad obtusum aliquantulum posterius, ad acutum saepe anterius angulum. Nam servato cochleae positu (X) septum tota latitudine sua verticale est. Hoc quo vicinius modioli termino eo arctius, et ubi primum a modiolo exit, rigidius, et opacius est, inde tenuius fit, albidius, atque elasticius; nam pressioni cedit,

(g) Tab. I. fig. 7. d.

et si recens est, pristinum in situm restituitur. Ceterum fragilissimum est, et levi opera albidior pars a reliqua secedit; eas etenim inter linea profundiuscula ducitur, quae veluti discrimen inter utramque signat. Cumque modiolus ex spongioso osse, et porosissimo fiat, superficies cochleae interior undique levigatissima est, eo loco excepto, quo modiolo completur (XI). Septum vero oppositum cochleae parietem non attingit, ac tubi perinde lumen non integre secat. Duabus vero lamellis manifeste compingitur, quae in libero margine vitri adjumento sunt conspicuae: ubi intervallum serie minimorum foraminum succedanea completum ostendunt: quae nudo etiam oculo in siccissimis, et longa quandoque maceratione detersis labyrinthis inspeximus. Minima haec foramina orificia sunt extrema canaliculorum inter duas septi laminas versus modioli axim decurrentium (XII). Dicunt septum hoc *laminam spiralem*, ut tamen *gyrus albus spiralis laminae*, dici conveniat, ea pars, quae ad marginem est laminae (*h*) liberum, albidior, ut diximus, mollior, vixque proinde ossis nomine digna.

XV. Hic autem gyrus albus laminae spiralis, a reliqua opaciori parte eo magis est distinguendus, quia per tractum spatii non minimi,

(h) Tab. I. fig. 3. r.

intra cochleae infundibulum, solus absque illa decurrit (*i*). Nam ubi terminat modiolus, nimirum in fine medietatis primae secundi gyri (XI), terminat quoque opacior pars laminae spiralis, de qua infundibulum nihil ingreditur. Solus autem albus ejusdem gyrus ulterius producitur, ita elongatus, quasi modiolum adhuc sequeretur; et sensim acutior circa centrum infundibuli *rostri* forma ducitur (*k*). Non tamen centrum illud circumambit undique, aut unquam laminam osseam ab suo *margine concavo ad cochleae apicem mittit*, uti contra omnes observationes nostras placuit ceteroquin Cassebohmio (*l*); sed circa eam tantum infundibuli centri partem liber ab omni adhaesione superagitur, quae a medietate postrema secundi gyri facta est. Qua percursa, desinit acuto apice (*m*) intra infundibulum integre suspensus: cumque centro ultimi semigyri curvam latiorem comprehendente, minorem circulum prope complet, qui infundibuli tubo (XII) elatiorem, planioremque originem exhibet (*n*).

XVI. Hactenus enarratis, auris humanae internae compagem osseam descripsimus. Huic

---

(i) Tab. I. fig. 7. e.
(k) Ibidem.
(l) De aure humana §. 195. fig. 6. 11.g.
fig. 10. k.
(m) Tab. I. fig. 7. h.
(n) Ibid. c.

autem accedunt plura, quae labyrinthi caveam perficiunt. E primum tenuissima membrana, omnem ejus superficiem investiens, cui *periostii* nomen datum est. Hoc, qua vestibulum vestit crassius est, tenuius longe, qua de vestibulo ad investiendos canales proficiscitur. Hoc eodem ex vestibuli parte fenestra ovalis clausa est, et stapedis basis, qua haec fenestra impletur, huic periostii productioni accumbit. Inde transit ad cochleam, ejusque omnem superficiem vestit. Est autem cochlea, ob laminam spiralem bipartita (XIV), in semicanalem anteriorem (*o*) cum vestibuli foramine (IV) continuum, aliumque posteriorem (*p*) cum rotunda fenestra. Hi vero semicanales *scalae* dicti sunt, atque prior *scala vestibuli*, alter *tympani scala* nominatus. Hinc apparet facile, has scalas inter se, per omnem tubi cochleam facientis longitudinem communicare: quia septum non integre tubum dividit (XIV), sed a modiolo profectum, ad aliquam ab opposito tubi pariete distantiam terminatur. Periostium vero est, quod accedens laminae spirali dat pro integro septo supplementum; atque ita fit, ut cochleae tubus integre dividatur. Nam ab origine penetrans scalae vestibuli, membranei tubi forma, qui lumini scalae illius proportione respondet, dum omnem scalae lon-

(o) Tab. I. fig. 3. 1. (p) Ibid. 2.

gitudinem percurrit, eamque integram vestit ad cochleae apicem usque, intervallum simul adimplet, quod inter marginem liberum laminae spiralis, et oppositum cochleae parietem intercedit. Cum vero ad rostrum (xv) pervenit laminae spiralis, quod placuit Cassebohmio (*q*) *hamulum* nominare, illi pariter accedit, intervallum complens, quod ab ejus convexo margine (*r*) ad oppositum cochleae parietem est (*s*). Efficit tamen sensim diminuta spiralis laminae latitudo (xiv), ut cum cochleae gyri fere cylindrice decurrant (xi), inter liberum laminae marginem, et oppositum cochleae parietem eo major distantia sit, quo propior infundibulo. Unde sensim majus intervallum cogitur complere periostium. Haec periostii pars, quae complet cochleae septum, dicitur *cochleae zona*.

XVII. Hujus autem cochleae zonae, cum spiralis laminae hamulo, est in apice cochleae attendenda constructio. Hamulus liberum semicirculum in fundo infundibuli describit, cujus acies acuta non attingit semicirculum paullo majorem, a centro semigyri factum, quo ostium tubi infundibuli compleretur (xv). Igitur, ubi hamulus fit acutus, terminoque proximior, et cochleae zona ab eo ad oppositum cochleae pa-

---

(q) De Aure humana Tract. 5. §. 185 197.

(r) Tab. 1. fig. 7. g.

(s) Ibid. i.

rietem emissa, incipit angustari (*t*). Nam ad illum parietem, non ut antea pertingit, sed infundibuli pavimento incipit adhaerere. Atque, ut acutior hamulus spiralis laminae fit, ita cochleae zona minus ab eo elongatur, hamuloque proximior, infundibuli alligatur pavimento (*u*). Tandem terminato hamulo, zona ipsa arctissima fit, et in hamuli formam quoque producta, in illud spatium immittitur, quod inter apicem hamuli ossei, et semicirculum a centro semigyri efformatum inveniebatur (*x*). Hic *zonae hamulus* cavo margine suo sequitur curvitatem cavi marginis hamuli laminae, convexa alligatur primum infundibuli pavimento, postremium semicirculo a centro nato semigyri. Ita completur in imo infundibuli circulus (*y*), partim a cavo margine hamuli laminae spiralis, partim a continuato simili margine hamuli zonae, et partim denique a reliquo centri semigyri efformatus. Circulum hunc *orificium tubi infundibuli* appello, quem tubum, *canalem scalarum communem* dixit Cassebohmius (*z*), ejusque horificium *foramen superius* ejusdem canalis.

XVIII. Qui dicta (XVII) perceperit animo, facile intelliget, scalam vestibuli longiorem es-

---

(t) Ibid. k.
(u) Ibid. ll.
(x) Ibid. nn.
(y) Ibid. c.
(z) Lib. cit. §. 194.

se tympani scala; illa enim per anteriorem zonae faciem excurrens, ad semigyri ultimi aciem (*a*) ascendit, haec posterius relicta, ad zonae in infundibuli pavimento desinit insertionem (XVII). Quae insertio in ipsa semigyri ultimi origine est; etsi aliter contra naturae vocem scripserit, et pinxerit Cassebohmius (*b*). Hinc duos haec primos cochleae gyros percurrit, illa integrum quoque semigyrum. Accedit quod et hamulus zonae (XVII), quo se postremo infundibuli inserit pavimento, saepe ex parte infundibuli convexa facie sit, ex ea scalae tympani concava; illaque propterea cum continuo acclivi semigyri pavimento, angulum obtusum, hamulus intercipit. Si ergo hamulus gyri albi laminae spiralis liber in infundibulo suspenditur (XV), ita ut inter hujus fundum, et hamulum distantia sit, uti et inter hunc et cupulam (XIII) illius; atque accedens zonae hamulus, veluti continuatio sit hamuli laminae spiralis; facile est intelligere, inter hamulum laminae, cum reliquo zonae hamulo, et secundi gyri pavimentum, circa cujus centrum hamuli diriguntur, distantiam relinqui, *hiatu* prope *triangulari* in infundibuli tubo patentem. Hiatui huic margo hamulorum concavus dat latus superius, cen-

(a) Tab. I. fig. 7. d. fig. 8. h. i.
(b) Lib. cit. Tab. 5.

trum medietatis postremae secundi gyri modiolo carens dat latus inferius, et distantia ab hamuli basi ad centrum illud, sive modioli medietas sub hamuli basi posita, triangulum complet prope curvilineum. Per hunc igitur hiatum, scala tympani sub hamulis terminata (XVIII) in tubo infundibuli patet. Haec est arcana tota *scalarum communicatio*, de qua vel adhuc dubitant Clari Viri, vel talia prodidere, ut qualis sit, et quomodo facta, difficillimum sit intelligere.

XIX. Per *foramen* igitur *triangulare* scalae tympani (XVIII) reflectitur periostium, omnemque ejusdem scalae, ad fenestram usque rotundam, ambitum investit. Ita zonae lamina accedit altera, qua paullo robustior fit. Sed et ante rotundam fenestram periostium idem expanditur, eamdemque claudit nomine *membranae fenestrae rotundae*. Haec accedente ex tympani parte ejus cavitatis periostio roboratur, duriorque fit, et ex eadem parte, velis cellularibus oppansis, saepe defenditur.

XX. Gyri autem cochleae singuli, veluti areae inter duos circulos concentricos positae, considerandi sunt; ita ut ambitu exteriori longiores sint, interiori modiolum includente breviores. Captis mensuris hanc inter eos proportionem inveni. Primi gyri ambitus exterior aequalis lineis decem, interior lineis 6 ½; exterior ambitus secundi gyri cum reliquo semigyro, aequa-

lis lineis 8 1/2, interior ad modiolum lineis tribus. Hinc totus ambitus exterior tubi cochleam facientis aequalis erat lineis 18 1/2, interior lineis 9 1/2. Cumque spiralis lamina margine libero axim tubi percurrere considerari possit, media proportionalis ejus marginis longitudinem prope dabit, quae erit linearum circiter tredecim. Axis modioli altitudinem vidi aequalem lineae 1 1/4. Axim integrum totius cochleae spirae, a basi modioli ad centrum cupulae infundibuli, paullo majorem linea 1 1/2.

XXI. Scalarum tamen cochleae capacitas inversam longitudinis rationem videtur sequi. Nam longior est scala vestibuli, et angustior; brevior, latiorque scala tympani. Hujus rei caussa duplex (1). Laminae spiralis ortus non a media superficie modioli, sed aliquantum proximior scalae vestibuli, ut non mihi desint observationes, in quibus supra laminam ex hujus scalae parte, vix de osse modioli fuit aliquid conspectum; et (2) zona cochleae in insertione ad oppositum parietem anterius inclinata. Scalae tympani, major tamen frequenter est capacitas prope rotundam fenestram, de qua infra edisseremus. Hic unum addam, cochleae zonam pellucidissimam esse, simulque tenuissimam, ut nisi in recentibus, cauteque persiccatis cochleis inquiratur, difficile sit inveniri.

XXII. His omnibus addendi sunt nervi, quorum maxime caussa hoc artificium machina-

tum est. Hi a medulla oblongata veniunt *septimi paris* nomine, duplicique fasce compositi; alio, eoque duriori anterius nato, a fovea in ortu extrorsum existente pyramidalium, ejusdem caudicis, corporum inferiorum; alio majori, molliorique, posterius a quarti ventriculi pavimento, radicibus per id repentibus albissimis educto; illo *durae* (*c*), hoc *mollis portionis* nomine donato (*d*). Ambo, in unum fascem complexi, foramen intrant acusticum (*e*), quo posteriori interno latere (*f*) os petrosum aperitur (*g*), perque canalem ei foramini continuum (*h*) extrorsum, antrorsumque vergentem progrediuntur. Hujus canalis longitudo sex lineas non excedit, quibus percursis, caeco ampliorique fine terminatur. Hoc in termino, foveolis aliquot, quasi recessibus instructus est, quas *sedes* Felix olim Platerus nominavit (*i*). Dicunt *communem nervorum canalem*. Hujus orificium ovale est, resectioni scriptorii calami per quam simile, longiorique axi horizonti parallelum. Lumen vero semilunare dicendum est, cujus cornua vergunt antrorsum. Nam a superficie anteriori, ipsoque propemodum orificii limine,

(c) Tab. 2. f.
(d) Ibidem. g.
(e) Ibidem. h.
(f) Tab. 1. fig. 1. c c.
(g) Ibid. o.
(h) Tab. 1. fig. 2. a. fig. 3. a.
(i) De corporis humani structura lib. 3. Tab. 7. fig. 4.

exurgere spina incipit (*k*), quae sensim introrsum ducta extantior fit: cumque in fine intimo canalis pervenit retrorsum recurvata falcis specie, in posteriori canalis pariete evanescit. Haec ut non mediam parietis anterioris superficiem percurrit, sed aliquantulum superior est, ita neque caecum ejus finem aequaliter bipartitur, sed superiorem minorem sedem, ab inferiori longe maxima discriminat. Duo semicanales hac ratione oriuntur in pariete canalis communis anteriori, alter supra spinam minor (*l*), alter infra longe maximus (*m*). Semicanalis superior non antea superiorem sedem attingit, quam foramine pertundatur, in superiori latere eodemque anteriori petrosi ossis aperto (*n*); a quo canalis incipit pariter osseus, per superiorem primum fundi tympani (II) partem decurrens, hinc retrorsum devolutus, sensim latior, ac tandem retro processum styliformem apertus. Hunc Fallopius *aquaeductum* appellavit (I).

XXIII. Dura mater per ostium reflexa canalis communis (XXII) ejus omnem superficiem investit, et per Fallopii aquaeductum protracta hunc quoque sublinit. Arachnoidea vero jam protuberantiae anulari, a qua distat tractu non modico, cellularibus filis alligata, intra com-

(k) Tab. I. fig. 1. 3. (m) Ibidem. 2.
(l) Ibidem. 1. (n) Tab. I. fig. 4. n.

munem nervorum canalem ingreditur, fascique nervoso laxam exhibet communemque vaginam. Pia quoque ut reliquis, ita his praecipue nervis applicatur. Qui cum plurimis filis invicem cellulari membrana colligat is constare videantur, eorum singulis pia peculiare exhibet involucrum. Saepe vero ab hoc nervorum fasce cellulosa fila ascendisse conspexi, tenuia quidem, ac ut solent araneosa, communisque canalis fornici alligata. His munimentis progrediuntur nervi; quorum dura pars, quae fascis totius anteriorem semper ab origine ad finem locum occupat (o), totoque decursu veluti in sinu recubat nervi mollis, per semicanalem superiorem (XXII), ad eam certe ducendam a natura formatum, constanter ducitur. Cumque ad foramen pervenit, quod Fallopii aquaeductui praebet originem (XXII), a molli nervo sejuncta illud intrat, omnemque aquaeductus longitudinem percurrit. Quo quidem in itinere ramum insignem dat (etsi accipere potius Clari Viri putaverint (p)) canali Vidiano; ramulosque musculo Eustachii, atque stapedis (XXXV), tympanique chordae faciendae. Demum per posteriorem styliformis processus partem egressa, datis saepe auriculae ramis, per genas ad frontem usque et nasum, innu-

(o) Tab. 2. f. pare nervorum cerebri §. LXIV.
(p) Meckelius de quinto

meris cum utroque maxillari paris quinti factis anastomosibus desinit. Nullae ergo cum aure interna duri nervi partes sunt.

XXIV. Sed totus ad eam pertinet nervus mollis (*q*), cujus ne minimum quidem filum in aliam partem distribuitur. Hic ab ipso e cerebro egressu, tribus distinctis fasciculis componi videtur, ita saepe dispositis, ut anterior unus (*r*), posterior alter (*s*), summo loco sint, tertius anterior omnium positus utrique supponatur (*t*). Eorumdem major postremus est, ac ita mollis, ut facile diffluat, videturque haud abs re posse putari, επιθετον nervi mollis ob hanc fuisse particulam toti nervo tributum. In intimo hic fine perveniens canalis communis, sedem petit majorem, infimam, interioremque ex his, quae inibi sunt exsculptae (XXII). Haec autem sedes in axe modioli excavata est, et foraminibus praedita, quae acervatim in *spiralem tractum* disponuntur. Qui tractus spiralis foraminosus incipit ab exteriori posteriorique sedis parte, ac directionem sequitur ejus partis modioli, quae in cochlea complenda occupatur (XI). Quae sane modioli pars finem habet in fundo sedis, qui apici cochleae respondet. Atque ut eadem pars modioli, quo apici cochleae vicinior eo est ar-

(q) Tab. 2. g.
(r) Ibidem. 1.
(s) Ibidem. 3.
(t) Ibidem. 2.

ctior, ita et foraminum acervus eo est minor, quo eidem loco proximior fit. Aperto autem cochleae tubo atque soli obverso, oculis eodem tempore in haec foramina intentis, omnia in tympani scala respondere videntur. Quo sane loco asperiorem diximus (XIV) cochleam observari. Haec faciunt ad dicta (XXI (I)).

XXV. Haec igitur pars nervi mollis, quae omnis est in cochleam dispergenda, in hac sede consistit, quam occupat quidem, non implet. Capacior etenim ea est, quam ut possit a tenui hoc nervo repleri. Neque atiam hujus sedis partem ejus ramuli adeunt, quam foraminibus occupatam (XXIV). Ad haec foramina ita nervus accedit. Antequam sedem pertingat, ramos aliquot ab inferiori sua parte emittit omnium longissimos, qui in itinere in minores alios divisi sedem intrant, ejusque foramina ab origine spiralis tractus successive pervadunt. Et hi eam maxime modioli partem subeunt, quae prioris cochleae gyri primam complet medietatem. In reliquo namque tractu, princeps ipse truncus in sedem ingressus, brevioresque in ramos divisus, dispergitur. Haec ramorum in spiram disposita insertio efficit, ut spatium intermedium relinquatur, quod a forma *spirale intervallum nervi cochleae* appello. Ramuli hi, per suum quisque foramen decurrens, in spiralem laminam certissime ducuntur; eam etenim

versus contendere vidi. Verum modioli ex parte cochleae superficies ad quam foramina spectant, non ita irregulariter aspera est, quemadmodum adultorum cochleae ostendunt, sed trabeculis basi cochleae perpendicularibus donata, parallelo vicino positu dispositis. Has superaffusus osseus succus occultat in adultis, et maxime conspicuas fetus offerunt. Quo fit ut diu incertus haeream, an per axim cujusque trabeculae, quas deinceps *columnas scalae tympani* appellabo, an per earum intervalla nervi ad spiralem laminam perducantur. Continuari tamen hos nervorum ductus cum canaliculis inter laminae descriptis (XIV); perque hos ad intervallum zonae cochleae nervorum ramulos transire, etsi pro summa tenuitate rerum non videam inspexisse, extra omne tamen dubium asseri posse credo. Ultra de hoc nervo me nihil scire sincerus fateor.

XXVI. Superioribus vero fasciculis nervi mollis duae praecipuae distinctae sedes in eodem termino canalis communis destinantur. Et anteriori quidem sedes minima datur, quae prope originem aquaeductus Fallopii (XXII) superior omnium profundiorque est. Ab ea in fetu tubus incipit peculiari testa formatus, qui in ipso anteriori extremo canalis externi (IX) permanet fine caeco; in adulto praeter profundius foramen centrum sedis occupans, foramina par-

va plura in ea conspicua sunt, filis osseis in retis formam dispositis distincta. Nervosus plexus eam penetrat, in tot ramos divisus, quot ea sunt foramina paucissimis vasorum relictis introitui, et ex his intra vestibulum, ubi finis eorum foraminum extat, perducitur. Nam pyramis ossea in vestibulo erecta (III) adjacensque elatiori parti curvi marginis fenestrae ovalis, tubulatos denticulos cum sedis hujus foraminibus continuat; et quae circa basim hujus pyramidis acervatim foramina disponuntur, iisdem pervia sunt. Fila haec omnia cum in vestibulum pervenere uno excepto, quod saepe canalem externum (IX) penetrare conspexi, ab ipso a pyramide, adsitisque foraminibus exitu, veluti a centro in membranam simul expanduntur, quae versus fundum vestibuli contendit. Haec ita distenditur, ut integrum septum in vestibulo faciat, toto ambitu circumligatum, quo cavitas haec bipartitur, in *cavitatem anteriorem*, atque *posteriorem*. In anteriori vero, quae simul superior est et imminet posteriori, cavitas semiovalis (III) cum anteriori orificio canalis externi (IX), et proprio superioris (V) continetur; in posteriori supposita, cavitas hemisphaerica (III), orificium canalis communis (VII), posterius externi (IX), et posterioris proprium aperitur (VI). Membranam nervosam istam *septum nervosum vestibuli* appello.

XXVII. Septum hoc, qua a pyramide vicinisque locis exit album est, et radiatas nervosas fibras manifestat, versus fundum vestibuli decurrentes: paullatim vero extenuatur, et diaphanae membranae formam acquirit. Spina discriminans semiovalem ab hemisphaerica cavitate (111) pro insertione inferioris septi nervosi partis maxime facit. In juniorum praecipue fetuum siccatis absque ulla maceratione praevia vestibulis, quamdam vidi a pyramide ejusque vicinia albissimi veluti flabelli speciem prodire, quod ab exsiccatis nervorum mollissimis filis efficiebatur: adhibita etenim maceratione diffluebat. In eodem quoque septo, prope communis canalis orificium, maculam albissimam fere quadrangulam saepe observavi, leni tactu diffluentem, quam mollissimam esse diceres cerebri medullam. Neque, etsi primo aspectu tenuis structura septi videatur, absque robore esse putandum est. Nam per communis canalis orificium tria prope mercurii grana in anteriorem vestibuli cavitatem impuli, atque posito ita septo, ut mercurii moles in eo gravitaret, absque ulla ruptione sustinuit. Robustius tamen in ortu est, in ambitu reliquo facilius dissolvitur. Totum autem a duplicatura videtur vestibuli periostii vaginatum, cum aperte conspexerim periostio canalis communis (VII) continuari. Haec nisi in recentissimis auribus, cauteque dissectis observen-

tur comperiri non poterunt; nam in siccatis cuncta turbantur, plurimis partibus vestibuli parietibus accretis, quae in eo antea libere suspendebatur.

XXVIII. Posteriori nervi mollis fasciculo, posterior omnium sedes in communis nervorum canalis fine est destinata, quae sub falce ejusdem spinae (XXII) posita, cum sede ad cochleam ducente prope continuatur. Haec tota reticulata est, latior minusque profunda praecedente(XXVI). Nervus hic per sedis suae foramina in proximam hemisphaericam cavitatem sua stamina ducit, quae cum ibi sunt perventa in mollem pulpam diffluunt, libere in ea cavea fluitantem. Per eam tamen maculam, qua hemisphaericam cavitatem opacari diximus (III), maxima nervi pars transit. Aliud quoque foramen solitarium, et maxime conspicuum, frequentissime patet in eodem communi nervorum canale, et in posteriori descriptae sedis parte supra marginem sedis cochleae introrsum ponitur, ramumque nervosum ex hoc ultimo fasciculo ducit. Foramen hoc ad horificium proprium canalis posterioris (VI) pertingit, inque multa foramina dissipatur, quae in cavea aperta sunt, quam prope illud orificium hunc diximus canalem obtinere. Quae foramina acuto eminenti aggere a vestibulo separantur, et nisi aperiatur canalis inconspicua sunt, maculamque foraminosam ibi parvam efficiunt, quam fetus elegantissime ostendunt. Per eam ra-

mus nervosus in minores alios divisus defertur, et partim fluitans, partim per posteriorem canalem repens terminatur. Singula haec fila tenuissimis pariter periostii expansionibus, veluti vaginulis, ad firmitatem includi credibile est.

XXIX. Expansiones istae omnes a molli nervo in labyrintho factae, cum mollissimae sint, ne collabascerent ultro, propositumque naturae in earum formatione turbarent, aquosus humor adjunctus est, quo ipsae susceptae sustineantur et haereant. Humoris hujus tanta copia est, ut cavum integrum labyrinthi repleat, in quo nulla omnino pars est, quae in naturali statu hoc humore sit vacua. Hoc est primum παραδοξον, quod in medium afferre videbor, in tanta quidem Anatomicorum omnium, quod sciam, consensione, existimantium madescere quidem, non ad amussim impleri hoc humore labyrinthum, et aërem a tympano venientem simul continere. Qui vero attente, non in humanum modo labyrinthum, sed et eorum quoque animalium, quibus humano respondens labyrinthus datus est, rem ipsam inquisiverint, mecum absque dubio manifeste videbunt, nihil aëris in labyrintho in aure recenti, ac vivo propterea homine inveniri, sed omne spatium lympha repleri. Ideo quamquam summis adversantibus Viris, asserere non dubitabo, neque aërem in integro labyrintho adesse, neque aliqua via in eum penetrare posse (XXXVI).

Qua in re minime quidem demonstrare contendo, Virorum fuisse Clarissimorum commentum, *aëri in labyrintho locum esse*, cum et vidisse potuerint, et ex observatis de ejus existentia judicasse; sed illud potius existimo, eos in auribus longo post mortem tempore inspexisse, aut si citius inspexerunt, non ita caute labyrinthum perlustrasse, quemadmodum huic rei definiendae necessarium est. Quotics enim auris recentissima, et integra, nec dimoto stapede ad observandum assumitur, dum leviter stapes de fenestra ovali subducitur, totum vestibulum aqua plenissimum observatur. Imo si in ipsa calvariae basi, aliquis canalium semicircularium uno ictu frangatur, lumen aqua plenissimum ostendet; quod et in cochlea discissa manifestissimum est. Sensim inde hic humor patefacto labyrintho evanescit, partim ab atmosphaera absumptus, partim a vicinis ossibus sensim exsiccatis imbibitus; et vacuum nuspiam naturaliter verum relinquit. Ex his non incongrua videtur comparatio facta inter pulpam nervi optici retinam in oculo facientem, et has acustici nervi expansiones: aeque enim per foramina in retis formam disposita suas caveas intrant, aeque humectata detinentur, aeque sustentata.

XXX. Quot ergo foramina, per quae nervi in vestibulum intrant? Non duo, ut fortasse

putavit Du Verneyus (*u*); non quinque ut Valsalva (*x*), sed innumera (XXVI, XXVIII). Quid *zonae sonorae* a Valsalva (*y*) propositae? Aliquid in quo bonus dormitavit Homerus. Quid *aër* ille *ingenitus* Aristoteli (z) dictus, et toti prope antiquitati acceptus, cui tantum Anatomici, et Physici videntur tribuisse? Patet (XXIX).

XXXI. Fontes humoris, quo labyrinthus impletur, non difficile est investigare. Cavea enim labyrinthus est aliis humani corporis cavitatibus similis, quae si vivo in animali aperiantur, fumum exhalant, quem *vaporem* dicere consueverunt. Talis in patefactis cerebri ventriculis mihi in canibus visus est, et Clarissimis ante me viris; talis in aperto canum abdomine, pectore, pericardio in conspectum venit, ut vere Vir Summus paucisque comparandus Albertus Hallerus nuperrime scripsit. Sic enim de fontibus aquae pericardii; *si vivi animalis cor pericardio nudaveris, adparet omnino et ex toto corde, et ex pericardio fumum exhalare, qualem etiam calens peritonaeum; et pleura et dura mater emittit, et quem in aquam coire novimus* (*a*). Fumus hic ab arteriarum

(u) De Organo Auditus Part. I. p.m. 11. Edit. Norimb.

(x) De Aure humana Part. I, cap. 3. §. XI.

(y) Ibid. §. XII.

(z) De Anima lib. 2. text. 8, 83.

(a) Physiol. Corp. hum. Tom. I. p. m. 295, 96.

extremis, in membranarum labyrinthi caveam vestientium superficie patentibus exsudat, quam injectionibus viam solemus imitari. Arteriae istae a cervicali Vieussenii natae, ramo unico, aut bifido, septimi paris comite, veniunt in labyrinthum, cujus investientem membranam (XVI), et nervosum septum percurrunt.

XXXII. Tanto artificio (II ad XXXI) elaboratum est opus, in quo ultima est soni impressio instrumentis animae communicanda. Nec re ipsa perpensa equidem minori opus erat. Primo etenim summa est factum naturae sollertia, ut nervi audiendo praefecti duro lapidosoque osse concluderentur. Quod ne soni perceptio deficeret, eo etiam in statu, quo planior per auriculam, et tympanum via obstructa est, aut alia quavis ratione impedita, apprime conducit. Namque sonum percipere non possumus, nisi tremorem in corporibus extra nos positis excitatum integre hauriamus. Nemo vero hoc in statu hauriet, nisi eumdem proxime accipiendo, atque ad eas omnes partes transferendo, quae nervis circumponuntur: ut ita nervi tandem tremore complexi concutiantur, sonique vim concipiant. Accipiendo autem, vividiusque conservando tremori, non est duris elasticisque corporibus aptius quidquam. Cujus naturae cum sint ossa, et ea maxime, quae nervi acustici expansiones concludunt, sonori corporis acceptas vibrationes,

et concipient facilius, et vividius conservabunt, conclusisque nervis tandem reddent. Huic quoque utilitati prospectum est, arctissime committendo ossa lapidea cum caelo, basique calvariae, quorum resonantia facilius diutiusque concutiuntur. Oportuit tamen nervos humore inundari, ne si ab ipso immediato ossium contactu deberent sibi tremorem comparare, nimium pro teneritudine sua lacessirentur. Humor etenim intermedius leniter undans ob acceptum ab ossibus impulsum, concutit nervos, sed molli, nec aspero contactu. Qualem utilitatem in iis reapse observamus, quibus datum non est auribus sonum haurire. Dum etenim premunt sonorum corpus, maxime dentibus ossium elasticissimis, sonum percipiunt discernuntque. Mirum hujus rei exemplum apud gravissimum Virum Joannem Philippum Ingrassiam relatum est (*b*): *Quidam*, inquit, *Hispanus noster ob raras ipsius animi dotes familiaris, non ex nativitate quidem, sed ex morbo factus est surdus, obstructo inquam exterius auditorio meatu, qui tamen recte atque exquisite cytharam priusquam surdesceret pulsare tangereque didicerat. Quoties vero nunc surdus jam redditus eam pulsat, nullam ex ea musica de-*

(b) In Commentariis in Galenum de Ossibus Cap. 1. Text. 8. p. m. 97. Ed. Panormi 1603.

lectationem perciperet, tanquam non audiens eam, nisi cytharae ob id consueto longius factum manubrium, propriis dentibus morderet, oreque compraehenderet, aut saltem per virgam ore proprio apprachensam, alia ex parte pulsatam a se cytharam tangeret. Hinc surdis, si super caput magna voce loquutus fueris, audire datum; intolerabilis prope sanis ibi stridor. Tormentorum bellicorum fragorem, ad eam distantiam, qua nequeunt vel perfecte audientes audire, baculo terrae infixo, et dentibus appraehenso, vel capite super maximo lapide firmato audiri, vulgo pro certo habetur.

XXXIII. Noluit vero NATURA nos hoc solo uti audiendi modo, quo sonum quidem percipere possumus, ejus attamen varietates integre distinguere non valemus: quique magnis quoque sonis percipiendis aptus esse potest, minoribus, quales frequenter in vitae usu occurrunt, et praesertim sermocinationibus conveniunt, minime potest. Hinc elastico fluido pro sono propagando usa est, cujus partes mobilissimae cujuscumque soni etiam debilissimi impetum recipiunt, et simul elasticae servant et propagant. Hujusmodi est aër, qui omnibus corporibus est circumpositus, et vel minimas eorumdem vibrationes accipit, atque in sphaeram sonoro corpori concentricam propagat, ea vi quae sit in

reciproca duplicata distantiarum ratione, uti evicit Joannes Keilius (c). Ut ex hoc vero sonum hauriremus, elegantem in nobis viam fabrefecit, quae ipsius aëris tremores vividissimos servat, et molli nervi acustici pulpae integros communicat. Per auriculam nempe, et ei continuum auditorium meatum, ad membranulam tenuem tensamque figurae prope ovalis, intimum meatus finem absque hiatu ullo claudentem, cui *membranae tympani* nomen est, pars moti aëris pervenit, si intra sphaeram sonoram homo sit, eique impetum a sonoro corpore acceptum communicat. Qui ut ab ea ad vestibulum perducatur, per interpositam tympani cavitatem ejusdem integra vis est continuanda. Etenim post hanc membranam subrotunda est cavitas in osse excavata membranae concentrica, *tympanum* Fallopio dicta; cujus finis vel fundus (11), in quo fenestra ovalis adest ducens ad vestibulum (11, 111), parallelus est membranae tympani, vixque duas ab ea lineas distat. Ut vis igitur impetus aëris a tympani membrana ad vestibulum pertingeret, ossiculorum catenam in intermedio spatio NATURA collocavit, cujus una extremitas membranae tympani firmiter alligatur, altera fenestram ovalem mobili connexione

(c) In Introductione ad veram Physicam. Lect. 1. p. m. 14, 15. Edit. Batavae 1725.

integram occupat. Quatuor haec constat ossiculis, quae tam arcte ligamentosis membranis invicem commissa sunt, ut primo a tympani membrana, cui cohaeret, impulso, postremum a fenestra ovali versus vestibulum illico moveatur.

XXXIV. Horum ossiculorum haec nomina sunt; primum *malleus* dictum est, aliud *incus*, tertium *orbiculare*, quartum *stapes*. Omnium majus *malleus* est, oblongum nempe ossiculum ad quatuor prope lineas, una extremitate capitatum, altera in caudam, ac veluti *manubrium* desinente; qua sola parte membranae tympani alligatum est, ab ejusdem superiori margine ad centrum. Caput enim eminentius est ac tympanum versus recurvatum. Huic ossi, praeter minimam eminentiam a summitate manubrii extrorsum natam, tympanique membranae infixam, processus quidam anterius datus est duas tresve lineas longus, in fetu tenuis, in formam spinae pisciculi, crassior firmiorque in adulto, quem ab inventore *processum* Folianum appellant. Hic proprio canaliculo suscipitur et firmatur, ita tamen ut permittat circa se malleum tantisper dimoveri. Quo fit ut ab aëris motu impulsa membrana tympani, dum manubrium introrsum secum protrahit, ob hunc processum, qui axis fungitur officio, circa quem malleus agitatur, caput eodem tempore vergat extrorsum. Est vero caput mallei *incudi* articulatum,

quae extrorsum retrorsumque ei adjacet; ossiculo nempe utrinque compresso, sursum latescenti in basis formam, atque ad recipiendum mallei caput excavato; deorsum in bina crura diviso, altero posteriori breviori crassiorique, acuto fine supra introitum cellularum mastoidearum firmiter inhaerente, longiori altero anteriorique, manubrio mallei parallelo, ac parumper interiori. Hujus cruris extremitas versus fundum tympani recurva, minimum *lenticularis formae ossiculum* sustinet, quo intercedente stapedi est articulata. Qui *stapes* recte a forma nominatus, basi constat ovali, ad tympanum cava, ad vestibulum convexa, fenestram ovalem (III, XVI) apte occupante, et duobus cruribus, qua se respiciunt sulcatis, membranaque tenui conjunctis, ab extremis baseos ortis: quae copulata capitulum efformant cum lenticulari osse connexum. Ambo haec crura in eodem plano sunt horizontali.

XXXV. Ossiculorum autem motus etsi maxime a membranae tympani concussione dependeat (XXXII), non parum tamen a musculis quibusdam adjuvatur, qui ab eodem membranae tympani impulsu, ratione alibi declaranda ad motum invitati sunt. Malleo etenim primo musculus datus est minimus, soloque Foliano processui, cum quo decurrit, famulandus; tum insignior alter tributus est, qui in canaliculo col-

locatus tympani fundum supra introitum Eustachianae tubae occupante, tendinem suum ad rectum prope angulum ad manubrii mittit originem. Et hic, quem Eustachianum ab inventore nominant agendo, manubrium mallei versus fundum vestibuli adducit, et caput ejusdem versus meatum auditorium rotat (XXXIV), ut propterea non immerito *rotatorem mallei* soleam nominare. Caput ejusdem ossis dum extrorsum urgetur, basim incudis sibi connexam secum trahit, quae uno cruri firmiter insistens (XXXIV) eoque posteriori, rotatorio circa ipsum motu agitur, et ita crus aliud malleo parallelum urget versus eumdem tympani fundum. Sic lenticulare ossiculum cum reliquo stapede urgetur directione prope horizontali. Verum musculus alter stapedi datus est, qui peculiari clausus canaliculo ante aquaeductum Fallopii per posteriorem tympani partem descendentem posito, tendinem emittit per medium exeuntem osseae papillulae, in qua ille desinit canalis prope posteriorem partem pelvis fenestrae ovalis. Qui tendo oblique extrorsum primo decurrit, ac postea capitulo stapedis posterius infigitur ad acutum angulum introrsum. Hinc dum actione sua hic musculus fungitur, introrsum retrorsumque stapedem agitat. Quo fit, ut pars posterior ejusdem basis in vestibulum intret, anterior latiorque a contactu marginis fenestrae ovalis minime disce-

dat. Haec etenim anterior pars per latum ac veluti triangulare ligamentum ab ipsa ortum, et in foveolam exsistentem supra idem fenestrae extremum insertum ita firmatur, ut, nisi notabili vi adhibita, separari non possit. Qua certe ex re dependet, quod ubi stapes, resecto tendine, qui suo capiti insertus est, a fenestra ovali extrahitur, facile posterior basis pars exeat, difficulter anterior.

XXXVI. Hoc sane ligamentum in recenti aure paullo diligenter perquisitum quisque poterit deprachendere, maxime si ab humore, aliisque membraneis productionibus pelvis fenestrae ovalis sit rite detersa. Qua diligentia manifestum fit, non extremitatem hanc solam baseos stapedis singulari ligamento devinciri, sed omnem ejusdem ambitum cum fenestrae ovalis margine ligamento pariter deligari; ita tamen, ut elevato paullulum depressove sic stapede, ut parum a situ suo deturbetur, nullam distantiam ei cum fenestra ovali intercedere manifeste demonstret. Imo saepe relicto stapede, quemadmodum natura deligatus est, et per aliquem aquaeductuum (1), impulso in labyrinthum mercurio, quo cessurus novo corpori humor labyrinthum implens (XXIX) effugium quaereret, elevari quidem eo stapedem, ac maxime attolli versus tympanum, nihil autem humoris in pelvim exsudare conspexi. Circulare hoc stapedis

ligamentum sinit equidem partem basis posteriorem vestibulum penetrare : estque a parte tympani , ita periostio , a pelvi ad vestiendum stapedem continuo tractu transeunti , connexum , ut natum inde dici posset. Hoc artificio prohibitum est , ne dum stapes posteriori basis parte intrat vestibulum , aut nimis alte hoc subire , aut simul elevari anteriori possit extremitate , aërique tympani facilem aditum in vestibulo facere. Debuit hoc natura mollitudini nervosarum expansionum labyrinthum incolantium, quae ab aëris immediato contactu atque pondere exsiccari , occallescere , aut rumpi, et ab acribus humoribus saepe tympanum incolantibus laedi facile potuissent. His certe non attendit Hambergerus , quando *in statu ordinario basin stapedis nunquam parietes osseos fenestrae ovalis contingere debere* scripsit (*d*) , cum quibus sane parietibus ita ad amussim aptata est , ut visa in situ suo integre servato a parte vestibuli , nil aptius effingi posse videatur. Mirorque Viros doctissimos persuadere sibi potuisse , stapedem ita a musculo suo attrahi , *ut posterius fenestram ovalem altius subeat , anterius ex ea exeat , quo fiat ut a basi stapedis prematur nervea pulpa vestibuli et*

(d) Physiologiae Medicae cap. IX. sect. 5. de Auditu §. MCX. p. m. 565.

ab aëre tympani. Cui quidem errori, quem dolenter agnoscere sum coactus, illud videtur dedisse locum, quod in siccis et maceratis fortasse auribus sua hi doctissimi homines instituerint experimenta. Quae si in recentibus fuissent prosecuti, quemadmodum a nobis factum est, nullus dubito, quin et ea animadvertissent, quae superius a nobis sunt relata, et in ipsa natura rationes inspectassent, quibus impossibilis ostenditur omnis sive aëris, sive alterius rei a tympano ad vestibulum accessus. Et quia eorum, quae natura fiunt aeternum est exemplar, ii omnes, qui de rei veritate sibi cupiunt satisfacere, naturam adeant, eamque cominus intueantur.

XXXVII. Nos vero cum harum in rerum investigatione versaremur, in ipsa basi stapedis adhuc fenestra ovali compraehensa, atque ex vestibuli parte prospecta, novum quiddam animadvertimus, ad impediendam eductionem anterioris ejusdem partis ab eadem fenestra opportunissimum. Nempe ab hac extremitate basis ex parte vestibuli apophysim triangularem emitti, quae supposita margini anterioris extremi fenestrae ovalis ob id leviter sinuati, ibidemque implantata, pro fulcro est, quo haec basis stapedis pars firmiter, ne forte exeat, retinetur. Hanc apophysim in omnibus, quos ad hunc diem observavi, hominis stapedibus, etsi alia

atque alia pro varietate hominum magnitudine, constantissimam tamen adesse comperi; potestque facile, educto etiam de ovali fenestra stapede, observari. Quo signo, quae anterior ejus basis pars, quae etiam posterior sit, judicabitur. Periostium ceterum ipsum, quo vestibulum induitur, quodque eidem fenestrae ovali ita oppanditur, ut ab ejus ambitu supra totam basim stapedis sit conjectum (XVI), per se quoque cuivis rei penetrare tentanti dat impedimentum. Quibus singulis quidem universisque perpensis, nihil movere me Vieussenii experimentum asserere non dubito, quem Virum *fumos et vapores meatui auditorio immissos emergentes ex fracto canali semicirculari* observasse lego apud Cl. Hallerum (*e*): eo dolenter opere adhuc destitutus, quod de Auris fabrica ab eodem scriptum est.

XXXVIII. Sola igitur posterior basis stapedis pars versus vestibulum vi duplici propellitur, una proprii musculi ope, altera incudis (XXXV). Ne vero in isto ingressu nimis alte penetraret, evadensque limites fenestrae ovalis, ita vestibuli caveam subiret, ut nato inter ipsam basim et fenestram intervallo, humori vestibu-

(e) In Commentariis ad Boerhaavii institutiones §. DLXI. not. 7. t. 3. p. m. 221. Edit. Taurinensis 1745.

lum implenti via satis ampla ad tympanum pararetur, ligamento primum cautum est, quo stapedis basis fenestrae ovali toto ambitu firmatur, deinde eidem fenestrae ovali eo loco, per quem anterior basis pars est descensura, osseum additamentum versus vestibulum tribuendo. Cum enim circulare basis ligamentum non ultra statutos limites penetrare stapedem permittat, osseum hoc fenestrae additamentum ita protenditur, ut spatium integrum a posteriori basis parte in introitu percurrendum teneat, hiatumque nascendum praeoccupet. Hujus autem, ut saepe fit, deficientis ipse stapes vices supplet, nam pars ejus basis vestibulum ingressura, marginibus maxime elevatis ex tympani parte donatur, qui intervallo a dimoto stapede cum fenestra ovali nascendo substituantur.

XXXIX. Haec autem omnia (xxxv ad xxxviii) non sine maxima providentia instituta sunt. Dum etenim stapes, anteriori basis parte immota, sola posteriori in vestibulum intrat, partem circularis curvae in ingressu describit, circa anteriorem extremitatem, quasi centrum ductam. Ac proinde posterior basis pars directionem motus anteriora versus nacta, secundum eamdem profecto aquam vestibuli impellit. Haec itaque mota versus anteriorem vestibuli extremitatem properat, quae cum nervoso sepimento a posteriori discernantur (xxvi),

in hoc veluti in obstaculo vim suam integram exserit. Septum itaque nervosum impulsui cedens, quem humor in posteriori vestibuli cavitate contentus motus a stapede communicat, eam humoris partem cedere cogit, quae anteriorem ipsam vestibuli cavitatem implet. Hic namque humor nisi cedat, spatium nervoso septo non erit, in quo ad modulum recepti impetus contremiscat. Quamobrem sapienter natura in hac cavitate vestibuli anteriori duo foramina (XXVI) collocavit, per quae posset impulsus humor, veluti per totidem diverticula pelli, et sufficiens spatium nervoso septo relinquere, in quo possit dimoveri; in hac etenim motione, omnis audiendi facultas collocatur. His autem foraminibus totam prope exteriorem superioremque hujus cavitatis partem, occupantibus, duo canales semicirculares continuos NATURA fecit, exteriorem, et superiorem (XXVI), qui cum ipsa anteriori vestibuli cavitate, humore etiam sunt plenissimi (XXIX). Nequit igitur cavitatis humor septo cedere, nisi continuo ipsi cedat is, qui canalibus conclusus est. Omnis itaque impulsio, quam septum humori cavitatis anterioris impertitur, in eum successive transit, quo canales replentur; et per extremitates horum canalium in posteriori vestibuli cavitate apertas (XXVI) tanta humoris portio excernetur, quanta in eo spatio cavitatis anterioris inveniebatur, quod septum

cedendo percurrit. Septum vero, quia toto ambitu circumligatum est, in sui tantum medio cedit, mutando situm planum sibi proprium in concavum ex parte cavitatis posterioris, a qua venit impulsio, et convexum ex parte anterioris, quam versus promovetur. Quod igitur, cedendo intra hanc caveam, spatium percurrit, convexitati ibi natae proportionale est.

XL. Convexitas vero ista (xxxix) ingressui stapedis aequalis est, eoque major minorve est, prout magis minusve intra vestibulum stapes penetrat. Eo autem major est stapedis ingressus, quo undae sonorae vis, atque impulsus crescit; idest quo majorem validioremque vibrationem efficit corpus sonans. Prout vero majus minusve robur soni obtinent, sonantium corporum vibrationes plus vel minus sunt intensae. Spatium ergo, quod stapes intra vestibulum percurrit, etsi cum intensitate sonorum proportionem habeat, circa $^1/_4$ tamen lineae partem versatur, ultra quam ligamenta (xxxv, xxxvi) basim stapedis non sinunt penetrare. Quod si vehemens ita sit vis sonorum, ut stapedis basim ultra hos limites impellat, tunc ruptis ligamentis altius vestibulum penetrabit. His autem ruptis, et labyrinthi humor effunditur, et tympani aëri aditus ad labyrinthum patet, et perit auditus. Hac ratione Canarienses, qui hostibus occurrunt sibilis acutissimis, audiendi facultatem saepe de-

struunt. Durat autem septi convexitas, quandiu manet stapes intra vestibulum impulsus, id est quandiu unius undae sonorae in tympani membranam actio durat. Quae sane duratio, etsi pro diversitate sonorum varia sit, minimo tamen tempore videtur absolvi. Convexitas ergo septi (XXXIX) minimo tempore persistet; et quemadmodum eo tempore, quo undae sonorae actio desiit, tympani membrana, et stapes situm pristinum resumunt, ita septum in planam superficiem (XXXIX) restitui debet, et novae impulsioni accipiendae praeparari.

XLI. Isthaec tamen restitutio, quantum tympani membranae, pro maxima qua gaudet tensione, facillima est, tantum septo nervoso, propria virtute, impossibilis evadit. Molle namque hoc est (XXVII), neque situm potest suum ullo modo servare, nisi aequabiliter sustineatur ab aqua utramque vestibuli caveam adimplente. Adeo ut in recenti labyrintho, si quidquam ab anteriori cavitate aquae dempseris, etsi plena posterior sit, versus faciem tamen ossium cavitatis ejusdem septum declinat, neque pristinae restituitur planitiei, nisi dempta humoris quantitas in anteriorem redeat cavitatem. Sed demonstratum est (XXXIX), septo impulsionibus stapedis cedente, aliquid excerni humoris ab anteriori cavitate: non igitur, nisi is perditus

humor in eamdem redeat, pristinum in situm septum restitui potest.

XLII. Duplici debuit ergo NATURA necessitati prospicere; facili nempe nervosi septi inclinationi in cavitatem anteriorem, et facili ejusdem restitutioni in pristinum situm (XL): in quae duo omnis versatur septi actio, et audiendi facultas. Quamobrem magno nec satis unquam admirando artificio, ita canales illos duos ab anteriori cavitate ortos collocavit, ita septum disposuit, ut mire in successivas istas actiones conspirent. Is namque situs septi est, ut planum inclinatum exteriora versus efficiat, cujus finis atque tendentia est in orificio anteriori canalis externi (IX). Cumque idem canalis externus posteriora versus sit declivis (IX), septi canalisque unam continuatamque declivitatem esse, facile apparet. Omnis igitur humor anterioris caveae, septo dum incumbit, per hoc planum inclinatum a septo, canalique factum, versus caveam posteriorem tendit: in quam cavitatem totus facile descenderet, nisi haec ita impleretur humore (XXIX), ultra ut capere non possit. Quando vero stapes posterioris vestibuli cavitatis humorem contra septum impellit, humor anterioris cavitatis per hoc planum inclinatum de se tantum excernit in caveam posteriorem (LV), quantum ad septi convexitatem accipien-

dam necessarium est. Ita facilem NATURA procuravit nervosi septi inclinationem.

XLIII. Facilem vero septi restitutionem superiori canale NATURA molita est, quem non declivem, ut externum, sed perpendicularem fere posuit. Ut quemadmodum a cavitate anteriori canalis oritur, qui declivitate sua humori a septo impulso facilem in posteriorem caveam descensum exhibet, alter etiam in ea canalis aperiretur, qui perpendicularis ad eam descendens, dando potius, quam accipiendo, excernendoque humori, aptus esset. Canalis ergo superior, humore plenissimus (XXIX), arcum refert, cujus duo extrema sunt veluti totidem tubi in vertice communicantes, quorum quisque in propriam vestibuli cavitatem insertus est: anterior nempe in anteriorem, non prorsus perpendicularis, sed parum extrorsum inclinatus, descendit: posterior in eadem recta linea cum communi canale, verticaliter in posteriorem caveam implantatur. Hinc columna humoris, anteriorem hujus canalis partem implens, basim habet in septo nervoso, cui tota impendet, ejusdem posterior columna, posterioris vestibuli cavitatis pavimento incumbit. Pondere igitur suo columna anterior septum continuo gravat, sive situm servet suum, sive impulsu attollatur. Huic vero ponderi nunquam septum cedit, donec posterioris cavitatis humore retrorsum su-

stinetur. Deficit hoc autem sustentaculum quoties stapes, qui vestibulum erat ingressus, in suam sedem (XL) regreditur: humor etenim posterioris cavitatis in spatium ruens a stapede relictum descendit, atque recedit a septo. Hinc columna anterior humoris canalis superioris, qua septum antea premebatur vi quidem mortua, ablata renitentia, vim vivam exerens, reprimit consque septum, donec planum aquae contingat caveae posterioris. Hic autem situs nequit non ille esse, quem ante impulsionem septum obtinuerat. Nam sicuti spatium, quod cedendo percurrit, ei aequale est, quod stapes vestibulum penetrando mensurat (XL), ita spatium, quod se restituendo metitur, ei erit aequale, quod stapes restitutus relinquit. Quidquid perdidit ergo anterior cavea humoris (XLII), a columna liquidi per superiorem canalem descendente reparabitur. Ita facilis facta est nervosi septi restitutio.

XLIV. Itus igitur reditusque septi quoties audimus, tot sunt, quot sunt undae sonorae membranam tympani, continuumque stapedem impellentes. Hae vero vibrationibus sonori corporis respondent, quae in omni sono, et plurimae, et celerrimae fiunt. Frequentissimus ergo itus reditusque septi futurus est, et descensus anterioris columnae humoris canalis superioris (XLIII) pariter frequentissimus. Dum vero haec

columna descendit, vacuitatem replet in anteriori cavea natam, per expulsionem humoris ex canali externo (XLII), tempore impulsionis septi. Haec igitur frequentissime de suo resarciet hanc humoris jacturam. Sed non tanti humor est, non modo anteriorem superioris canalis partem implens, sed et totum omnino canalem, ut frequentem adeo refusionem sine celerrima possit evacuatione sustinere. Hinc nova nata necessitas, propter quam NATURA, hunc canalem continuo servare plenum coacta (XLIII), singulis vicibus, quibus hic aliquid anteriori caveae refundit, perditum ei cogatur resarcire.

XLV. Huic necessitati egregie provisum est superiorem canalem posteriori extremitate (XLVI), intra vestibuli caveam posteriorem inserendo; inque eo praesertim loco quod posteriori respondet stapedis extremo (VII). Quando etenim stapes intra vestibulum pulsus, aquam posterioris caveae propellit, etsi maxime anteriora versus urgeat, quia tamen humores dum pellùntur versus omnem plagam moveri necesse est, ea aqua versus omnem posterioris caveae ambitum movetur. Ubinam ergo sibi effugium quaeret, nisi per ea foramina, quae in illa cavitate aperta sunt (XXVI)? Per orificium igitur canalis communis, per proprium posteriora, per posterius externi, per orificium scalae tympani, quae sola in illa patent, conabitur irruere. Haec

autem omnia pervadere facile nequit. Nam orificium canalis externi, cum ferat humorem ab anteriori cavea in posteriorem, illum certe repellit, qui a posteriori tentat anteriorem adire. Posterioris canalis proprium orificium difficile pervadet, nam omnem humorem esset acturus, longissimum hunc canalem, eumdemque acclivem, adimplentem. Per orificium ergo canalis communis, et scalae vestibuli facilius penetrabit: per hoc, quia in fundo vestibuli imo patet, et proprio in ipsum pondere tendit: per illud, quia e directo respondet fenestrae ovalis extremo, per quod stapes impellitur, et advenienti humori locum facile exhibet.

XLVI. Communis namque canalis, ut supra dictum est, in eadem directione cum posteriori parte canalis superioris invenitur, cujus equidem vera continuatio est. Quando igitur motus humor (XLVI) ejus urget orificium, agere ac propellere conatur integram humoris columnam, communem superioremque canalem posterius adimplentem. Haec propulsa, reliquum humorem, anteriorem superioris canalis partem implentem, successive urget: qui humor, cum supra septum incumbat (XLIII), acceptum impulsum septo communicabit, septumque repellet. Qui igitur ad orificium canalis communis vim intulerat humor, pro ratione, qua septum descendit, eum canalem ingreditur. Superior

ergo canalis, dum dat anteriori caveae (XLV), a posteriori accipit. Mirum profecto, uno stapedis impulsu agi septum, et reagi, ita ut utraque actio justo sibi succedat intervallo, eoque tempore fiat repulsio, quando impulsio jam desiit. Nec ratio in obscuro est. Nam pars humoris, quae a stapede mota septum impellit, spatium brevissimum percurrit, quale est a stapede ad septum; pars quae septum repellit, per longius spatium tandem operatur, quale est a stapede per canalem communem, et superiorem, ad cavitatem anticam. Hinc tempora, quibus utraque actio terminatur, quae, caeteris paribus, spatiis proportionalia sunt, sibi succedunt.

XLVII. Quando igitur posterioris cavitatis humor cedentem viam invenit per canalem communem, quis regulam ei statuet, ne plus eo versus impellat, quam par sit, neve ultra limites, septi descensum (XLVI) promoveat? Huic damno provisum est, aperto intra superiorem canalem, qui, ut diximus (XLVI), unus continuusque cum canale communi habendus est, canali posteriori. Si quis igitur humor, ultra debitum, communem canalem tentat irruere, vel minima experta septi resistentia, per orificium canalis posterioris penetrat; hujusque canalis, declivi positu opportune donati, humorem facile propellens, sibi locum invenit. Ut

ergo canalis externus diverticulum est cavitatis anterioris (XLII), ita posterior diverticulum est canalis superioris. Utrumque diverticulum desinere debuit in vestibuli cavea posteriori, quae cum sit dispensatrix humoris, anteriorem caveam (XLII), canalem superiorem (XLVI), et scalam vestibuli subeuntis (XLV), nisi ab his humorem suum reciperet, brevi exinanita, omnem auditus mechanismum perverteret. Illa demum humoris pars, quae per vestibuli scalae orificium intrat aquam in ea scala contentam, ad apicem usque cochleae impellit, a quo per foramen triangulare intra infundibuli tubum (XII) apertum, in tympani scala derivatur. Est igitur scala tympani diverticulum ejus humoris, quem, repetitis stapedis ictibus, scala vestibuli suscepit.

XLVIII. Haec omnia (XXXIX ad XLVII) demonstrant, humorem labyrinthi omni tempore quo audimus circuitum absolvere ab anteriori vestibuli cavea, per canalem maxime externum, ad caveam posteriorem, ab hac per canalem communem ad superiorem canalem, et ad eamdem denuo caveam anteriorem. Hic *major circuitus* est: *minor* est vero, a cavea posteriori per canalem communem, et posteriorem ad eamdem caveam. Qui per scalam vestibuli cochleam intrat, inque tympani scalam derivatur, quia posteriorem caveam non repe-

tit, a qua profectus est, circuitum absolvere dici nequit. Hos circuitus unusquisque excitat stapedis impulsus, et in unoquoque impulsu, eodem fere tempore, nervi, qui intra labyrinthum disponuntur moventur, et sentiunt universi. Nam septum (XXVI) concutit aqua caveae posterioris a stapede mota (XXXIX): filum nervosum canalis externi (XXVI) aqua movet caveae anterioris majorem circuitum incipiens (XLII): fila maculae orificii proprii canalis posterioris (XXVIII) ea urget humoris pars, quae a communi canale (XLVI) descendit (XLVII): fila commovet alia cavitatis hemisphaericae (XXVIII) ipsa aqua caveae posterioris (XLV); quae sane aqua in cavitate illa, tamquam in lacuna permanet, ad coërcendas, fulciendasque nervorum fibras inibi fluitantes. Ipsa denique zona cochleae (LVI, XXV) ab aqua scalam vestibuli percurrente (XLVII) agitur, quae dum ad apicem cochleae properat, super zona movetur. Hinc eodem tempore, quo aqua caveae posterioris concutit septum, concutit et fila nervosa cavitatis hemisphaericae, et fila maculae orificii proprii canalis posterioris, et zonam cochleae, neque longius abest agitatio fili canalis externi.

XLIX. Hoc humoris vestibuli motu fit, ut nervi acustici expansiones vim soni percipiant. Est etenim soni perceptio in eo ferme reposita, ut tot vicibus acustici nervi concutiantur, quot

undae aëreae a sonoro corpore missae sunt. Ubi igitur hae undae tympani membranam percutiunt, et haec, per ossium catenam intermediam, stapedem urget, qui tandem, ut demonstravimus, aquam vestibuli movet, dubium est profecto nullum hunc esse humorem, qui acceptas a stapede impressiones nervis communicet. Nervi igitur toties ab undis humoris percussi, quoties humor a stapede movetur, idest quoties sonorum corpus tremit, eas omnes impressiones animae communicant, a qua sonus percipitur. Oportuit vero, ut stapes ictus suos non immediate nerveae pulpae, sed per intermedium humorem communicaret, ob rationem, quam alibi exposuimus (XXXII). Neque videtur esse quaerendum, cur NATURA pro septo nervoso, quod in vestibulo fecit, simplices fluitantes productiones nerveas non effecerit, aut expansam quidem nervosam membranam, sed vestibulum non prorsus dividentem. Nam simplices productiones libere intra vestibulum fluitantes, si essent longae, conciderent innata mollitie, neque ad necessarias oscillationes sustinerentur erectae; si breves, ab unda humoris vestibuli parum agitarentur, et vel minimae ejusdem impressioni cederent. Nec brevitati durities addi potuit, mollissimi enim hi futuri sunt nervi, qui vel minimorum sonorum vim debent percipere. Nervosa vero expansio vestibulum non dividens,

eique similis, quam pinxit Cassebohmius (f), etsi productionibus simplicibus stabilior foret, tamen continuitatem permitteret inter humorem vestibulum implentem: neque hic regularibus motionibus, ictibus stapedis respondentibus, moveretur. Nam impulsus primum a stapede vestibuli humor, ad anteriorem ejus partem properans, ubi nervosam expansionem offenderet, eam ageret; per ambitum vero, qui a parietibus vestibuli huc illuc sejunctus esset, in anteriorem vestibuli parietem impingeret, quo in loco, etsi canales offenderet, quia tamen pressus aequabiliter non est, ut fit a septo, versus stapedem resiliret, inque septum, ejusque margines denuo ageret, novasque impressiones ei daret, quam quae a stapede proficiscuntur. Hoc sufficere putarem ad necessitatem septi ostendendam, etsi nobis vix cortice tenus NATURAE fines iutuentibus, magis sufficere videatur, septum jam NATURAM intra vestibulum collocasse.

L. Septum hoc nervosum, quod debuit NATURA intra vestibulum collocare (XLIX), non solo homini, sed quantum video, plerisque animantibus, qui canales habent semicirculares, datum est. Nulli tamen adeo amplum ut homini: ne bovi quidem, et equo. Debet namque homo sonorum etiam minimorum vim haurire,

(f) Lib. cit. Tab. 5. fig. 1. 2. 3.

quorum vel ipsa, ei necessaria, sermocinatio feracissima est. Hinc quemadmodum bruta, maximam odoratus vim, propter magnam expansionem nervorum habent olfactoriorum, ita homini, audiendi facultate reliquis fortasse animantibus praestanti, nervosum hoc vestibuli septum maximum datum est. Hanc ob caussam vestibulum quoque majus homini concessum, ut fere duplum eo sit, quo boves gaudent, ac equi. Canales imo semicirculares breviores latioresque, et aequali lumine praediti per omnem fere decursum homini tributi sunt, ut humoris circulationes (XLVII), quae nervorum motum procurant, facillime brevique tempore absolverentur. Secus accidit equis, ac bobus, canalium semicircularium longitudinem summam habentibus, maximae conjuctam angustiae, vixque mediocris setae capaci. Talium viarum amplitudo homini concessa minuit frictiones inter humorem, et canalium, per quos movetur, superficiem, quarum caussa, norunt mechanici, maximas motus fieri retardationes.

LI. Verum animadvertere licet, talem esse omnium prope labyrinthi partium situm, et ordinem, ut non alia, quam unius septi nervosi caussa, eam quam habent fabricam videantur obtinuisse. Exegit namque septum, ut cavitas vestibuli divideretur (XXVI): propter hanc divisionem humoris vestibuli, audiendi tempo-

re, ab una in aliam caveam necessaria fuit derivatio (XXXIX): haec ut facilis esset (XL) canalis externus (IX) declivem debuit habere situm (XLII): ut septum promptum esset singulis suscipiendis stapedis impressionibus, restitui debuit (XL, XLI): hinc canalis superior (V) oportuit fieri pene perpendicularis (XLIII): ergo ab anteriori cavea duo canales tantum oriri oportuit, unus qui superfluum diverteret, alter qui restitueret perditum, non unus inde nasci potuit, non tres: et una cavea supra septum, alia debuit infra esse (XXVI): et posterior cavea, a qua maxima dispergitur humoris pars; ad canalem superiorem (XLVI), posteriorem (XLVII), cochleam (XLVII), major anteriori esse debuit: et stapes hunc humorem propulsurus, in posteriori cavea ingredi (XXXIX); et canales omnes necessitate structurae semicirculares, ut diximus (IV), esse debuerunt: quia oriuntur a vestibulo, et in vestibulum redeunt: et canalis exterior posteriori orificio prope vestibuli caelum debuit aperiri, ut emittendo intra posteriorem caveam, quam ab eadem accipiendo esset aptior: atque hinc talis esse debuit vestibuli situs, ut longiori axe retrorsum declinet. Superior vero canalis nequivit omnino perpendicularis, anteriori parte, septo esse, ne basim columnae humoris contenti, in ipso fere orificio canalis externi obtineret; ejusque retror-

sum cum compare convergentiam (v), necessaria insertio in fundo vestibuli exegit (XLV). Tandem scala vestibuli ab imo cavitatis posterioris loco debuit exoriri, ut facillime humorem hauriret a stapede motum. Sed haec de labyrinthi officio satis dicta sint: reliqua ad cochleam praecipue spectantia, alibi commodius tradituri.

LII. Quis est igitur canalium semicircularium usus? Apparet ex dictis (XXXIX ad L) ductus esse communicationis inter utramque praesertim vestibuli cavitatem, per quos humor eas replens ad dandam nervis libertatem motus, pro necessitate derivatur. Ita maxima in his NATURAE simplicitas elucescit, quae tot tantaque commenta circa horum canalium usum a philosophis prolata omnino dissipat. An ergo in ipsis, ut placuit Ill. Senaco (g), auditus sedes? Repugnant praeter alia, aëris a labyrintho absentia (XXIX); lumen canalium in decursu aequabile (L); nervorum in centro inflexionis canalis superioris, et posterioris defectus (XXIV ad XXVIII), in quo centro auditum collocat; diversus singulorum canalium situs, quem nunquam NATURA mutat, ut longitudinem, et amplitudinem: quod documento est situ praecipue, suo canales istos officio fungi. Quam parum ergo

(g) L' Anatomie d' Heister avec des Essais de Physique etc. Tom. 3. p. 236, 37. Paris 1753.

mensuris horum canalium tribuendum est, quibus tot labores dedicarunt Anatomici! Hinc quaerenti respondemus Cassebohmio (*h*) *canales quare in posteriori* (potius superiori (x)) *labyrinthi loco siti?* Quia septi nervosi necessitas (XLIX), ejusque motus ratio (XXXIX) ita sitos canales requirebant (XLII). *Quare canalis superior, et inferior* (nempe posterior) *situm* (idest tantillum directionis) *mutent, non vero externus?* Patet ex dictis. (XLII). *Cur superior cum inferiore* (sc. posteriore), *neuter vero horum cum externo se conjungat, ita ut in vestibulo tria canalium orificia tantum numerarentur?* Demonstratum est (XXXIX ad XLVII). Sic etiam postulanti satisfacimus Boerhaavio (*i*), *cur quinque potius ostia tribus canalibus natura fecerit, cur numerum ad tres reduxerit?* Quae omnia ex hactenus recensitis manifestissime demonstrata sunt, etsi *neminem mortalium haec explicaturum* Boerhaavius idem judicaverit.

LIII. Monitos autem volo, quotquot ad haec omnia cum ipsa natura conferenda veritatis amor incesserit, ut non aliter ad canalium,

---

(h) De Aure Humana Tract. V. §. 178. p. m. 6.

(i) In praelectionibus Academicis in proprias institutiones. §. DLXI. Tom. 3. Ed. Taurin. p. m. 220.

reliquarumque partium labyrinthi positum investigandum accedant, quam proprio omnia in situ contemplando. Nam quod canalium semicircularium usum, quem, nisi plura nos fallunt, facili ratiocinio ab ipsa natura deduximus, ad hunc diem ignoraverint Anatomici, ex eo quidem factum est, quod labyrinthum a calvariae basi separatum sibi ante oculos proposuerint. Nos vero cum in aliis, tum in his praecipue partibus, absque ulla erroris suspicione, contemplandis, res ipsas proprio in situ inspectare consuevimus. Ad quem profecto finem diu est, quod in integra calvariae basi labyrinthi partes omnes deteximus, et sumus meditati. Sine cujus praeparationis praesentia, minime dubitamus, quin ludicra potius, fictitiaque judicanda sint omnia, quae de canalium officio recensuimus. Nec est cur quisquam putet, labyrinthum ab osse extractum, qualem frequenter servant demonstrantque Anatomici, facile posse in naturali directione collocari. Nam hoc difficillimum esse ii facile experientur, qui selectum quemlibet labyrinthi situm, cum eo comparaverint, quem idem in integra calvariae basi detectus solet exhibere. Lubenter vero fatemur hujus praeparationis laudem omnem Viro Illustri, et incomparabili in primis Anatomico, Joanni Baptistae Morgagno esse referendam, qui primus, quod sciam, omnium, in adultorum calvariis

eam meditatus est, et assecutus (*k*). In calvaria namque fetus idem sane, nisi fallor, fuisse molitum Clarissimum Du Verneyum, ex icone Actis Parisinis inserta memini didicisse; etsi dolenter locus memoria excidit. Nos ideo etsi solum labyrinthum ab osse extractum proprio in situ depingendum nunc curavimus (*l*), brevi tamen conabimur, utilissimam, longeque praestantem cranii basis, tum fetus, cum adulti iconem dare, in qua canales semicirçulares cum cochlea sunt detecti, quo ad haec sacra penetrare conantibus facilior accessus proponatur.

LIV. Duo tamen in his, quae hactenus proposuimus de labyrinthi partium officio, et audiendi ratione, videntur enodanda. Primum, qui fieri possit, ut cum integra labyrinthi cavitas humore pleuissima sit (XXIX), et penetrare in vestibulum stapes (XXXV), et humor in anteriori vestibuli cavitate contentus, per canalem semicircularem externum in posteriorem cavitatem possit derivari (XXXIX, XLII)? Nam si plena humore sunt omnia, stapedis ingressus aut impedietur, aut compresso humore fiet; quorum primum falsum est (XXXIX), alterum impossibile, vi enim maximae, qua ad comprimendam vestibuli aquam opus esset, stapes omnino idoneus non est. Si pars humoris in ante-

(k) Epist. Anat. XII. §. 4. (l) Tab. I. fig. 2.

riori vestibuli cavitate contenti, ut septum moveatur, per canalem semicircularem externum, in caveam posteriorem deferenda est (XLII), cum haec jam plena tota sit, nec spatium novo humori concedat, in eam certe excerni non poterit. Haec omnia cogunt duo esse concludenda, (¹) aut non integrum labyrinthum humore repleri, et vacui quidquam inesse, per quod humor dimoveri possit, quod verum omnino non est (XXIX): (²) aut si plenus est, quemadmodum certe est, aliquod diverticulum humorem illum invenire, per quod, ubi a stapede impellitur, extra labyrinthi caveam, aliqua parte derivetur, et spatium exhibeat, in quo residuus humor libere, ut nos demonstravimus, per labyrinthum moveatur. Alterum, quod difficilius resolvi posse videtur, hoc est. Si quoties stapes vestibuli humorem pellit, hic per vestibuli scalam ad apicem usque cochleae defertur (XLVII), et ab eo, per foramen triangulare tubi infundibuli, in tympani scalam decidit, ut novis undis ejusdem humoris spatium concedat; si tympani scala jam humore plena est (XXIX), quomodo novum advenientem accipiet? Si vero non accipit, resistet successive humor ad apicem cochleae, hinc ad orificium usque scalae vestibuli, atque ita omnis ejus per cochleam motus brevi impedietur, officiumque cochleae peribit (XLVII, XLVIII). Quae duo

cogunt esse fatendum, aut scalam tympani vacuum spatium satis obtinere, quo saepe advenientem, per vestibuli scalam, novum humorem recipiat, quod omnino impossibile, ac falsum est; aut si plena tota est, ut quidem est, humoris quo antea replebatur, per aliquod diverticulum, partem aliquam extra se dimissuram, ut novo advenienti humori locum concedat.

LV. Cum igitur totam labyrinthi caveam humore omnino repleri, supra (XXIX) sit a nobis demonstratum, reliquum omnino est, ut ad nervorum labyrinthi opportunam agitationem, viae a labyrintho sint, per quas contentus humor partim derivatus, spatium residuo faciat, in quod, nervorum tremoribus obsequens, transferatur. Cui quidem necessitati adeo NATURA prospexit, ut non unam, sed duas hercle vias, a labyrinthi cavea deduxerit, quae huic superfluo humori revehendo aptissimae sunt. Nam sicut, ad commovendos vestibuli nervos, necessaria ex hujus cavo humoris erat derivatio (LIV), ita viam a vestibulo fecit ad sinum lateralem proximum durae matris terminatam, per quam miro artificio superfluus humor exoneratur. Hanc nos, ab aqua ex vestibulo revehenda, *vestibuli aquaeductum* nominavimus (1). Pariterque summae prospiciens derivationis necessitati a tympani scala (LIV),

viam aliam ab ea fecit exordiri, quae in calvariae cavo patentissima apertione terminatur. Hanc a derivando extra cochleam humore, quo haec repletur, *cochleae aquaeductum* appellavimus (1). Quorum sane aquaeductuum utilitati necessitatique demonstrandae, oportebat dicta (II ad LIV) praemisisse. Reliquum modo igitur est, ut de ipsis singillatim edisseramus.

LVI. A vestibuli incipiam aquaeductu, cujus compositior fabrica, et longe spectabilior forma est. Hujus origo ab eo est posterioris vestibuli cavitatis (XXVI) foramine, quod primus, nisi fallor, inter cavitatem vestibuli orbicularem, et canalis communis orificium, descripsit et pinxit Cassebohmius (*m*). Nemo tamen aut diligentius, aut verius, ejus figuram et affectiones prosequutus est quam Ill. Morgagnus, qui, indito *cavitatis sulciformis* nomine, hoc foramen designavit. Sic enim de eo, hic Anatomicorum princeps, post recensitas reliquas vestibuli foveas, memoriae tradidit; (*n*) *libens hic omitterem tertiam quamdam vestibuli cavitatem, nisi ad foraminis descriptionem attineret, eo minus praetermittendi, quod*

(m) Lib. cit. Tract. V. §. 216. p. m. 19. Tab. 4. fig. 8. lit. h. fig. 12. lit. I.

(n) Epistola Anat. XII. §. 5. p. m. 329.

nunquam deesse animadverti; eaque esse solet magnitudine, ut cuilibet, vel non quaesitum, per se in oculos incurrat; quamobrem non videbatur promiscue inter foraminula, aut non perpetua, aut longe minora proponendum. A me olim in theatro simul cum caeteris, de quibus supra dixi, demonstratum est, trianguli forma occurrit prope eam oram hujus orificii canalis communis, quae parietem vestibuli interiorem attingit. Ejus trianguli vertex ad eumdem canalem pertinet, ut interdum per hujus intimam faciem promineat osseus fornix brevis tubuli in id foramen desinentis. Crura autem trianguli singula in singulas osseas prominulas lineas producta secundum interius extremum cavitatis semiovalis, et posteriorem hemisphaericae marginem, per interiorem vestibuli partem descendentes, oblongum semicanalem, seu mavis sulcum, intercipiunt, qui haud raro infra proprium majoris canalis orificium se inflectens in orificio cochleae posterius desinit. Hunc in quibus magis conspicuus fuerit (nec enim in omnibus aeque est) cavitatem poteris sulciformem appellare.

LVII. Hanc foraminis descriptionem adeo naturae, innumeris plane vidi observationibus consonam, ut praeter pauca omnino, nil ad

eam ultra addi posse videatur. Etenim saepissime in ejus figuram inquirens, non sine constanti naturae instituto, (ut mihi ad hunc diem visum est) verticem foraminis hujus ita vidi recurvum, ut, cum lateribus, quibus continuabatur, veram hyperbolicam figuram comprehenderet (o). Quae sane figura non ad ipsum foramen omnino pertinet, sed ad alveum illum, sive sulcum, quem hyperbolis latera, exstantia satis, intercipiunt, in ipsum hoc foramen desinentem. Nam sub vertice tandem hyperbolis foramen conspicuum est, lumine ovali, et ad rimulae, satis tamen perviae, formam accedente; cujus non eadem est, pro subjectorum et aetatis varietatibus, amplitudo. Saepe enim in fetu, minorisque aetatis hominibus, mihi patentius visum est. Et naturali vestibuli positu servato, is situs est, tum foraminis, cum sulci, in quem continuatur, ut ad anteriorem partem orificii canalis communis foramen et sulci origo pertineant, cujus reliquum per vestibuli pavimentum decurrit. Sulci hujus latera hanc saepe sequuntur directionem: posterius, quod exstantius est, et veluti semicanalem recondit proximum continuumque foramini, in acutum aggerem (XXVIII) proprii orificii posterioris canalis finem ponit: anterius, sive potius supe-

(o) Tab. I. fig. 3. l.

rius, in spinam, inter semiovalem, et hemisphaericam cavitatem intercedentem, evanescit. Sulcus tamen his lateribus comprehensus, directionem posterioris lateris maxime sequutus, vestibuli scalae videtur continuari.

LVIII. Quis tamen sit hujus foraminis usus, se ignorare fatetur Illustris Morgagnus (*p*). Cum enim *lima arrepta*, *eum nonnunquam tubulum persequutus*, qui ei continuus est foramini *parum profecisset*, videretque, *non longo emenso tractu*, *prorsus finiri*, *eaque directione esse*, *ut ad canalem nervorum communem non attinere videretur*, *caeterum*, concludit, *quicumque illius sit usus*, *mihi necdum fit verisimile*, *ex patulo*, *eodemque*, *ut saepe*, *non parvo orificio progressum*, *tam cito desinere*, *et caecum esse*. Quo postremo sane monitu egregie Vir insignis vaticinari videtur. Neque enim caecum hoc foramen, neque brevi tubulo, eidemque caeco continuum est, sed ejus canalis principium constituit, quem nos vestibuli aquaeductum appellavimus. Placet ergo minus proprio *cavitatis sulciformis* nomine seposito, nomen *orificii aquaeductus vestibuli* huic foramini tribuere.

LIX. Canalis ab hoc procedit orificio, qui introrsum sursumque tendit per medium os pe-

---

(p) Epist. Anat. XII. §. 61. p. m. 378.

trosum, superscandens canalem communem (VII) (*q*). Lineae spatium hoc decursu percurrit, atque mutata inde directione, extrorsum deorsumque curvatur (*r*), inque illa terminatur *rima*, quam in posteriori interno latere, prope foveam sigmoideam, os petrosum habet (*s*), quaeque eidem foveae saepe parallela est. Lumen hujus canalis non ubique aequale est: ab orificio enim ad locum inflexionis continuo decrescit: hoc autem in loco maxime angustum est, et saepe tenuissimam setam, ejus generis, quod inferius (LXIII) describam, vix apice sinit ingredi: a summa vero angustia, quam heic loci habet, sensim ad finem usque ita latescit, ut si, deraso sufficienter circum osse, spectetur, cornu hinc illincque compressum repraesentet (*t*). Hujus ergo canalis lumen in orificio 1/4 lineae partem aequat, in inflexionis loco 1/10, in rima foveae sigmoideae proxima, in quam desinit, tres, et quatuor saepe lineas altitudinis obtinet. Variat autem hujus rimae tum forma, cum latitudo saepissime: aliis angusta nimis, aliis latior est, frequentior vero mensura latitudinis 1/4 lineae partem solet aequare. Ejusdem rimae paries unus anterior est, conti-

---

(q) Tab. I. fig. 2. g.
(r) Ibid. g h.
(s) Tab. I. fig. 1. m m.
fig. 2. i.
(t) Tab. I. fig. g h i.

nuus externae medietati lateris posterioris ossis petrosi, in quo rima aperta est; alter vero posterior elatiorque internae medietati ejusdem lateris est continuus, et frequentissime tumet. Varia totius canalis longitudo esse consuevit; saepissime namque vidi quatuor lineas vix excessisse, et aliquando vix attigisse binas. Postremum hoc in junioribus frequenter observavi, quibus canalis hujus paries liber, nondum completus, tubi formam longitudinemque minuerat. Hoc dum fit, neque rima sigmoideae foveae admodum proxima est, neque se multum aperit, exhibetque. Superficiem internam totius canalis, membranulis omnibus expolitam, laevissimam ego semper observavi; prope rimam vero, in quam desinit; aliquando rugosam. Sed varietates omnes quis recensebit?

LX. Durae matris, cum reliqua calvariae basi, interna latera ossis petrosi vestientis, lamina exterior, quae immediato contactu ossibus applicatur, per rimam, in qua canalis osseus aquaeductus vestibuli finem habet, intra aquaeductum reflectitur, eumque totum investit, ad orificium usque suum intra vestibulum patens. In hoc, per canalem, progressu, hujus aptissime superficiei adhaerescit, quae proinde laevissima, quoties observatur adhuc dura matre induta, comperitur. Ab orificio aquaeductus (LVIII) reflectitur ad totam labyrinthi super-

ficiem, cui pro periostio est (XVI). Dum vero a libero orificii margine est reflectenda, plicam brevem efficit, eidem margini continuam, tenuis *tentorii* forma, quam in diligenter, et absque ullo aëris accessu, arefactis labyrinthis, frequentissime observavi. Patet ex hoc, originem ejus periostii, quod labyrinthum investit (XVI), a durae matris lamina exteriori certius deducendam, quam ab illis hujus membranae productionibus, quas secum nervi a communi canale intra vestibulum inferre, voluit in primis Cassebohmius. (*u*)

LXI. Interior vero lamina durae matris libera ante rimam (LIX) excurrit, neque exteriori laminae, ut ceteroqui solet, aut in rimae regione, aut in eo loco, qui proxime rimae supponitur, est alligata: sed liberam cum exteriori lamina *cavitatem* intercipit, qua rima vestibuli aquaeductus est excepta. Cavitas haec, cujus, pro maxima naturae inconstantia, neque forma, etsi ad ovalem frequenter accedat, neque amplitudo potest definiri; quoties, dissectis parietibus, perlustratur, superficiem laevissimam ostendit: ita ut nihil, aut superficiei canalis ossei aquaeductus supra (LIX) memoratae, aut ipsi faciei durae matris cerebrum spectanti, concedere videatur. Accidit tamen ali-

(u) Lib. cit. §. 220.

quando, ut, vel tenerrimis cellulosis filis cavitas ista trajecta sit, vel incredibilem amplitudinem nanciscatur. Talis mihi nuper, eam auditoribus demonstranti, visa est: trianguli namque formam referebat, cujus erat in rima (LIX) vertex, basis vero in proximo margine foveae sigmoideae, tantae longitudinis, ut octo lineas aequaret.

LXII. Quae omnia (LIX, LXI), quisquis cum ipsa natura conferre cupierit, meo quidem judicio, hac in observando regula utatur oportet. Circumcidat primo calvariam, ejusque caelum evellat. Ne vero propter tenacem durae matris colligationem ad eas suturas, quae caelum hoc percurrunt, insimul attollatur haec membrana, divellaturque a basi calvariae: qua divulsione, pro iis, quae diximus, observandis, nihil nocentius haberi posse videtur: circumcisa jam calvaria non statim evellenda est, sed per sectionis locum culter profunde, ad cerebrum usque, adigendus est, eoque discindenda toto in ambitu dura mater, et cum ipso dissecto calvariae caelo auferenda. Relictum inde cerebrum extrahendum, separatisque tentoriis a superiori angulo ossis petrosi, una auferendum cerebellum. Ita enim cranii basis dura matre induta integra remanet, in qua, per latus posterius ossis petrosi, indicem versando, rimam oportet invenire (LIX), quae osseam terminat aquaeductus partem. Facile autem rima inveni-

tur, cujus paries posterior valde sub dura matre saepe elevatur, et cujus ab extremis frequenter tendineas dura mater fibras deducit, quae columnarum forma rimam sustinent. Hinc sub ea primum incidendum, directione eidem parallela, deinde a medio prioris incisurae deorsum dissecandum (x); ita vero ut utraque dissectio ad ossis superficiem usque non penetret, sed in ispo permaneat membranae meditullio. Nam lateribus incisurae elevatis (y), cavitas fit manifesta lymphatico humore madescens: cujus quidem vestigia absque ulla possent incisione cognosci, modo indicis apex sub rima (LIX) paullulum exerceretur. Hoc enim artificio dimoveri inter se laminas durae matris, ob cavitatem interceptam sentimus. Quod si eousque licuerit calvariae basim dura matre indutam servare, ut membrana haec incipiat exsiccari, pulchre profecto apparebit, arescentiam huic loco, cui cavitas supposita est, sero nimis accedere. Color etenim membranae albidus, quo, cum humida est, perfruitur, quique a reliquis locis jam arefactis decessit, diutissime in hoc membranae loco perdurat. Quod indicio est, humidum in hac, prae reliquis durae membranae partibus, maxime suppetere. Sic cum ossa petrosa, integro durae matris indumento dili-

(x) Tab. 2. tt. (y) Ibid. uu.

genter servato, a cranio divulsa, saepe exsiccanda curaverim, vidi laetus post exsiccationem, patentissime internam laminam durae matris ab externa ita sub rima (LIX) separatam, ut supposita cavitas, propter illius laminae pelluciditatem, conspiceretur. Ceterum nisi ista tententur, hujus membranei cavi in detecta cranii basi, ne levissimum quidem vestigium licebit intueri.

LXIII. Cavitate (LXI) detecta, per rimam in ea patentem, setam quoties voluimus, in osseum intrusimus aquaeductus canalem(LIX) ei continuum, quae jucundo saepe spectaculo confestim intra vestibulum penetravit. Nec minori quidem facilitate pertransiit, quoties a vestibulo per aquaeductus orificium seta impulsa est: visa enim in hanc saepe cavitatem pervenisse. Ad hoc experimentum rite instituendum duo omnino necessaria sunt. Primum, ut seta per rimam intrudatur, quae adhuc integre dura matre induta sit; quoties enim haec a basi cranii divulsa est, dum seta per rimam versus vestibulum intruditur, filamenta a lacerata dura matre intra canalem relicta, viam per quam seta penetrare debet, quodammodo obstruunt. Ubi vero per aquaeductus orificium seta penetrat, saepe ista vitari consueverunt: quamquam non raro accidat, sive ob angustiam canalis, sive ob eorumdem filorum resistentiam, ut ne

per hanc quidem viam liber setae transitus relinquatur. Alterum in setae delectu positum est, sine quo videtur impossibile rem apte exsequi posse. Suillae quidem propter figuram quam habent quasi cylindricam, sive tenues sunt, et vim prementem facili flexione eludunt, sive crassae, et per aquaeductus angustias, quas in medio sui decursus offendunt (LIX), nequeunt pertransire. Aptissimae longo usu mihi habentur, quae ex rostris quadrupedum, et maxime vulpium sunt evulsae. Conicae etenim istae sunt, et acutissimum habent extremum, cui penetrare facile est, basim crassam, quae prementis vim efficacissime sustinet, et longitudinem operanti percommodam.

LXIV. Constat ex dictis (LIX, ad LXII) aquaeductus vestibuli duas esse partes, unam ab orificio (LVIII) ad rimam (LIX), quae *ossea pars* dici potest, alteram a rima ortam, et intra duram matrem excavatam (LXI), quam *cavitatem aquaeductus membraneam* licet appellare. Non est autem praestantior methodus, qua harum partium aquaeductus continuitas possit observari, injectione mercurio in primis instituta. Fistula Anelliana, qua ad lacrymales ductus reserandos tergendosque utimur, quia tubuli extrema tenuitate gaudet, huic operi aptissima est. Aptato namque apice tubuli aquaeductus orificio; maxime si paullulum recurvus

ille sit, ut commode per aliquem tractum aquaeductum penetret; injectoque inde mercurio, videtur illico cavitas hujus aquaeductus membranea eodem turgere. Quod si apta deficiente fistula, harum aquaeductus partium communionem placuerit investigare, sequenti ratione tentamen est instituendum. Dissecetur interior durae matris lamina, ad duarum linearum a rima (LIX) distantiam; tum, qui paries dissectionis est ex parte rimae, acicula elevetur, et in facto spatio aliquot mercurii globuli intrudantur. Caute deinde jam elevatus membraneus paries deprimatur, ita ut, margine praesertim dissecto, parietem oppositum retractet, absque immissi mercurii exclusione. Incluso sic mercurio manus index caute apprimatur, qui versus rimam ipsum impellat: ita namque perfugiet intra vestibulum. Quod sane spectaculum manifestius apparet, quando haec omnia in osse petroso dura matre induto, sed a cranio divulso, instituuntur; potest tum enim, educto a fenestra ovali stapede, persiccatoque vestibuli humore, mercurii introitus observari. Facilior vero separandi ossis hujus methodus haec mihi visa est. Incisa dura matre per omnem ambitum ossis petrosi, serra fiat una sectio in ea parte squamosi ossis, quae illius respondet angulo anteriori, altera in ea parte, quae imminet foeae sigmoideae: utraque ea profunditate sit, quae

ad basis calvariae planum pertingat. Scalpello dein per has sectiones urgeatur os, et si a carneis vinculis solutum fuerit, maxime inferius, facile separabitur.

LXV. Injectionis autem beneficio novi quidam canales in conspectum veniunt, quorum ante injectionem ne vestigium quidem licebat intueri. Repleta enim cavitas (LXI) mercurio, ubi leviter a superiori parte deorsum premitur, jucundo spectaculo observatur, mercurium in ea contentum quosdam canaliculos (*a*) penetrare, qui ab omni fere cavitatis ambitu emergentes, inter durae matris laminas delati, miris saepe, et non infrequentibus anastomosibus communicant. Horum aliqui, post brevem trium, quatuorve linearum ab ortu distantiam, patentibus sanguiferis venulis durae matris excepti, in eas receptum a cavitate aquaeductus mercurium transferunt; aliqui, saepe conjuncti, veluti sinum (*b*) componunt, in quem durae matris venulae corrivant aliae; alii tandem ipsum membraneum parietem proximi sinus lateralis recto tramite adeunt. Placuit mihi saepe, et cum aliis Cl. Viris, quos huic observationi praesentes frequenter habui, tum clarissimo in primis Regiae Neapolitanae Academiae Botanices doctissimo Professori, quem honoris caussa no-

(a) Tab. 2. xx. (b) Ibid. zz.

mino, Dominico Cyrillo, jucundum hoc sane spectaculum, quod scilicet impulso a cavitate aquaeductus mercurio in vascula inde exorta, ipsisque vasculis pressis, cum mercurius oculis ab nostris disperiret, dissecto laterali sinu, in eo omnem ejus quantitatem collectam observavimus. Imo saepe sinum praescindendo, indeque premendo vascula, ab eorum extremis osculis in sinu patentibus, mercurium depluere conspeximus. Dum vero isthaec tentantur levis caveae, vasculisque pressio applicanda est; nam si valida ea est, mercurius nimia vi percitus, aut cavitatis, aut canaliculorum latera urget, inque cellulositate vagatur inter laminas durae matris interposita. Haec autem vasorum repletio, mercurio ab aquaeductus cavitate presso procurata, felicius instituitur, quando cavitas illa aquaeductus membranea non nimis ampla est. Ita namque, et pauco indigemus mercurio, et huic presso nullum, nisi ad proxima vasorum oscula, diffugium patet. Sed quando nimia est cavitatis amplitudo, neque repleri mercurio potest, ne pondere hic suo, ad levem pressionem, cavitatis ambitum longe lateque repellat, nec pauca mercurii usurpata quantitas sic indicis apice contineri potest, ut pressio, in oscula potius vasculorum a lateribus cavitatis orientium, quam in superfluam cavitatem, mercurium ducat. Praeterea ubi parva cavitas est, una

pressio omnibus ejus lateribus mercurium applicat, omniaque vascula inde orta replet; ubi vero magna est, vix in uno cavitatis angulo mercurii moles contineri potest, nec spes est eo inde pulso omnia exorientia vascula repletum iri.

LXVI. Demonstrant haec omnia (LXV), vascula procedentia ab aquaeductus vestibuli cavitate venosa esse, exque ejus generis venis, quarum a caveis origo est, vulgo *inhalantibus* nominatis. Dubitari namque non potest, quin humor in membraneam aquaeductus cavitatem depositus, per has venulas abreptus, lateralem proximum petat sinum durae matris. Sunt etiam ex lymphaticarum genere venae istae, quia lympham ferunt, sed valvulis, quantum potui ad hunc diem perspicere destitutae, quia in his mercurius itum pro lubitu, reditumque facilem obtinet. Habentur ergo in his duo, primum, si non alias, certe has tamen lymphaticas in dura matre esse venulas: alterum, lymphaticarum venarum esse finem etiam in venis sanguiferis, quod alias egregie in ventriculo, intestinis, etc. demonstravit Berolinensis Anatomicus, non absque magna laude memorandus, J. Fridericus Mekelius. (c)

(c) In dissertatione Epistol. ad Ill. Hallerum de vasis lymphaticis etc. Berolin. 1757.

LXVII. Fabricam aquaeductus vestibuli in adultis hactenus exposuimus, qualis in fetu sit, modo enarrabimus. In hoc vero contemplanti mihi partis structuram saepe mirari subiit, quomodo res per se in oculum incurrens, ad hunc diem potuerit praeteriri. Habet fetus enim orificium aquaeductus ei simillimum, (nisi quod etiam patentius quandoque sit), quod habent adulti. Tota ejus ossea pars non ossis petrosi substantia undique obruitur, sed distincti, et ab osse reliquo separati tubi forma procedit (*d*). Cujus tanta mihi visa est aliquando distinctio, ut perspecta meatus intra ipsum decurrentis amplitudine, vix clarius aliquid conspicari potuisse judicarem. Talis attamen in fetibus minoris aetatis videri non potest, quibus brevissima est ossea aquaeductus vestibuli pars, nec progressu adhuc suo valde spectabilis. Vixque in his rudimentum aliquod tubi exoriri conspicitur parvo foramine trajecti. Ubi maturi ad partum fetus sunt, distingui valde tubus osseus potest, qui ad duarum prope linearum longitudinem quandoque pertingit. Finis autem tubi, qui reliquo latior est, ut ut liber, sinu tamen, aut fovea excipitur (*e*), in proxime supposita petrosi ossis superficie excavata, quae aetatis incremento sensim sensimque obliteratur. Hac fovea cavitas

(d) Tab. 1. fig. 4. g. (e) Ibid. h.

membranea aquaeductus continetur, quam si cum illa adulti comparaveris, ampliorem distinctioremque dixeris obtinuisse fetum, sui corporis respectu. In adulto eminentia, in quam margo aquaeductus liber assurgit, foveae defectum supplet; ab ea enim pontis instar supra reliquum os dura mater conjicitur, cavitatemque format.

LXVIII. Verum ne videar proprii profectus originem dissimulasse, qua ratione hunc aquaeductum invenerim, breviter enarrabo. Quinque, et quod excedit, elapsi sunt anni, ex quo ego laboribus anatomicis jam dedicatus, inter alias humani corporis partes, auditus organi fabricam caepi investigare. Ducem mihi naturam, non auctores praefigendos esse probe edoctus, post observationes peractas, placebat celeberrimi Valsalvae scripta, doctissimis viri summi Joannis Baptistae Morgagni epistolis illustrata consulere. Cumque multa legerem, multaque cum illis compararem, quae jam egomet observaveram, in ejus foraminis mentionem incidi, quod orificium huic aquaeductui dat, quodque, mihi antea etsi pluries observatum adhuc tamen ignorabam cuinam destinatum foret usui. Morgagni perplexitas (LVIII.) ad nova me tentamina incitavit. Cumque petrosa ossa praesto essent innumera, qualia mihi comparaveram pro retexenda temporis ossis historia, quam integro operi

de humano auditus organo praefigere constitui, forte fortuna in osse petroso puellae septennis incidi, quod cum diutissima maceratio ab omnibus membranis detersisset, novorum tentaminum exordio opportunissimum fore deliberavi. Res voto cessit. Nam semel, et iterum in foramen dictum setam indidi, et quamquam pertinaciter impellenti non parva renitentia se offerret, insperato tamen cessit, obsecutaque seta est, et maxima sui parte intra foramen recepta. Hinc lustrare os undequaque, et investigare, quo se loco pars setae intropulsa recepisset; inveni autem evasisse e rima (LIX). Tum ea curiositate percitus, quae maxime solet consequi novarum rerum inopinatam oblationem, plura, diversaeque magnitudinis, et aetatis, ossa sollicite congessi, tentavi, et modo in hoc, modo in illud, setam pertinaciter impuli: sed dare viam aliqua ossa, alia reniti. Sicca seposui, et ad recentia me converti: saepe vero in his fuit facilis setae transitus. Cum mecum autem ipse novi canalis rationem inquirerem, maxima emergit haesitandi caussa, quod ea rima, quae canalem terminabat, dura matre integre clausa videbatur. Tum meditatus saepe rem, eam in dubitationem perducor, num intra duram cavea extaret aliqua, quae rimam exciperet. Jussi deferri caput recens, retegique calvariae basim, ut dixi (LXII), et cultri acie, sub rima, du-

ram incidi, in longum primum, mox transverse. Ita cavitas (LXI) aqua perquam madida manifestatur, quam cum pluries in forma, et situ, adhibitaque injectione examinarem, ea inveni, quae ad hunc locum protuli.

LXIX. Volui ab hominis corpore (quae frequens mihi observandi ratio est) ad brutorum corpora transire, et num datus illi aquaeductus his esset quoque concessus, sedulo investigare. Quadrupedum ergo nullum ad hunc diem observavi, qui hoc aquaeductu destitueretur. In equo, bove, simia, cane, fele domestica, agno, lepore, cuniculo adesse comperi. Horum autem nemini ita patens, tum in orificio, tum reliquo in decursu datus, sicut homini: quod si minus in aliis, in equo certe et bove admiratione summa dignum est. Non tamen ita in volatilibus res obvenit. Canales namque in iis sunt, aquaeductus vero nullum vestigium observatur. Neque mirum videri debet, si iis animalibus, quibus cochleam NATURA negavit, quorumque canales alia ratione disposuit, et aquaeductum hunc forte negaverit. Quoniam vero constitui, observationes nostras ad volatilium auditum pertinentes, alio tempore proferre, licere mihi non arbitror, ea hic revelare, quae tum canalium in his officium, cum rationem cochleae defectus manifestent. Ex hoc illud vero inferri potest, iis omnibus ani-

mantibus, quorum auditus organon humanum videtur imitari, aquaeductum vestibuli esse datum.

LXX. Hactenus de vestibuli aquaeductu recensita eo spectant, ut, quomodo plenum in labyrinthum (XXIX) stapes intret, ejusque ingressu humor, quo ille impletur, circumagi possit, clare intelligamus. Nam quando stapes labyrinthi premit humorem, et hic in omnibus canalium semicircularium orificiis constantem invenit resistentiam, ab eorumdem plenitudine ortam, hanc viam, quae per vestibuli est aquaeductum, liberam, nulloque obice interseptam, percurret, inque membraneam ejus cavitatem derivabitur. Ne vero magna humoris vis hanc curreret viam, quod sine insigni auditus detrimento fieri non posset, incurvum minimique luminis, proxime vestibulum, hunc canalem NATURA fecit. Ita namque moderantur vestibuli humoris fluxum, tum angulus, quem superare motu suo debet humor, tum adhaesio, quam in capillaribus hujusmodi tubis maximam habet ad superficiem vasis humor contentus; adeo ut nisi insigni vi accedente, qualis vis stapedis est, humorem, aquaeductus hic, elabi non sinat, nec plus elabi quam stapedis motus exigat. Qui decidit vero humor in membraneam aquaeductus cavitatem, is venis exceptus in sinum lateralem exoneratur.

LXXI. Sed eodem stapedis impulsu humoris vestibuli pars per vestibuli scalam fertur (XLVII , LIV), zonamque cochleae agitat. Cum vero plena tota haec scala sit, neque haec modo, sed et simul scala tympani, quae duo tubum referunt communicantem; ut per illam moveatur humor, oportet, ut eadem ratione, qua ab orificio scalae vestibuli intra cochleam provehitur, in orificio scalae tympani cedat humor in ea contentus, noviterque advenienti locum faciat. Hoc autem orificium patulum non est, nec esse potuit, cum locus non sit, in quo absque auditus detrimento potuisset aperiri. Nam si intra vestibulum quoque pateret, pressus a stapede (XXXIX) vestibuli humor per tympani, vestibulique scalae orificia urgeret simul: per neutrum vero viam sibi facere posset: quemadmodum si ambobus orificiis tubi communicantis aqua pleni adhibetur aequalis pressio, aqua nullibi emergit. Neque poterat intra tympani cavitatem aperiri, a qua aëri facilis esset aditus. Clausit igitur NATURA scalae tympani orificium, et exitum contenti humoris per canalem, sive aquaeductum procuravit ab ea scala ad calvariae cavum descendentem.

LXXII. Quaeri autem opportune potest, cur in hoc scalae tympani fine caeco, foramen membrana tectum NATURA posuerit, neque continuo osse hunc finem compleverit. Cujus qui-

dem rei duplex mihi videtur ratio esse. Prima, ut eo tempore, quo tympani membranam sonora unda impellit, aër tympani (XXXIII) percussus, tremorem acceptum membranae communicaret fenestrae rotundae, quae oscillatione sua proximum humorem scalae tympani agitaret, et per orificium cochleae aquaeductus eodem tempore expelleret, quo vestibuli humor a stapede movetur. Ita enim, quando hujus humoris pars per vestibuli scalam propellitur, locum invenit jam in tympani scala paratum, in quem facile se exoneret. Altera, ut qui fenestram rotundam premit humor, tempore quo nova quantitas ex vestibulo advehitur, non in superpositam cochleae zonam, etsi breviorem hic robustioremque, totus ageret, sed in cedentem hauc rotundae fenestrae membranam impulsus partem perderet. Confirmat conjecturam observatio. Vidi enim, cui fenestra rotunda integre erat osse clausa, ossicula tympani, et maxime stapedem fuisse duplo majora consueto: quasi indicante NATURA, ampliori stapedis pressione, majorem se motum vestibuli humori cochleam petituro procurasse, ut qui antea scalae tympani humor a tremore membranae fenestrae rotundae, et a vestibuli humore in suum erat aquaeductum impellendus, deficiente membrana, solo humoris vestibuli motu impelleretur.

LXXIII. Cochleae igitur aquaeductus,

de quo restat ut dicam, canalis est, qui a foramine patenti prope fenestram rotundam in tympani scala (*f*) ortum suum obtinet. Hoc foramen illud est, quod primus omnium descripsit, et ornate pinxit Du Verneyus (*g*): *in inferiori cochleae meatu patens prope fenestram rotundam*: quodque *frustra semper* a Valsalva (*h*) *quaesitum*, confirmavit, descripsit, ornatiusque pinxit Cassebohmius; *in tympani* namque *scala*, *non procul a fenestra rotunda*, *foramen*, inquit, *conspici* (*i*) Cl. vero Morgagnus, cujus ego fidem, atque industriam maximi quidem semper, meritoque facere consuevi, non minus ingenue fassus est *se in ea depressione*, *quae occurrere solita est prope fenestram rotundam* in tympani scala, *aut prope ipsam* depressionem *peculiare foramen monstrare posse*, *in pluribus saltem*, *quas servabat auribus*, *non vitulorum modo*, *atque agnorum*, *quamquam in his manifestius esset*, *aut novimestris humani fetus*, *verum etiam adultorum hominum* (*k*). Nescio autem quo fato iis officiis hoc foramen tot Cl. Viri

---

(f) Tab. 1. fig. 3. p. fig. 5. f.

(g) Lib. cit. part. 1. pag. 10. Tab. 10. fig. 8. b.

(h) De Aure Humana cap. 3. §. 15. p. m. 32.

(i) Lib. cit. tract. 5. §. 199. tab. 5. fig. 8. a.

(k) Epist. anat. XII. §. 60. p. m. 377.

unanimiter destinarunt, quibus ne per somnium quidem id NATURA praefecit. Nam Du Verneyus (*l*) in hoc foramen *canalem desinere asseruit, qui ab ostio profectus in parte inferiori ossis petrosi, infra illud, per quod nervus auditorius transit, existente, arteriae et venae pervius esset, quae rami carotidis essent, et jugularis internae, quique longitudinem lineae unius, et dimidiae obtineret.* Cassebohmius vero (*m*), etsi in eo videatur a Du Verneyo dissentire, quod hic *infra foramen auditorium internum* hujus foraminis canalem aperiri scribat, ipse vero *ad partis petrosae superficiem externam, et inferiorem, in vicinia cavitatis illius* putet *pertingere, in qua venae jugularis internae principium collocatur*; eo tamen recidit, ut si non duo, ut Du Verneyus, vascula, arteriam nempe, et venam, *unum* tamen (arteria ne sit, an vena dissimulans) *per foramen indicatum transire et in tympani scalam dispergi, videre sibi contigisse* (*n*) fidentissime asserat. Imo eo, sive erroris, sive imaginationis vi provectus est, ut elegantissima, si qua unquam alia, icone, vasculum eo ab foramine pinxerit (*o*) emergens, quod incautis, maxima facilitate, veri specie

(l) Loc. cit.
(m) Lib. cit. §. 199.
(n) Ib. §. 247.
(o) Lib. cit. Tab. 5. fig. 8. a.

imponeret. Nec se potuit a facillimo errore cavere Cl. Morgagnus, qui *per hoc foramen in recentibus sane auribus non semel, aut sanguiferum vas quodpiam traductum, aut traducti indicia conspexisse* (p) affirmavit. Talis attamen constantissimus hujus est foraminis habitus, ut pervium semper sit, nullumque vasorum genus per se patiatur progredi.

LXXIV. Si nullo igitur sanguifero vasi viam hoc foramen exhibet, cuinam officio destinatum est? Nempe ut humori scalam tympani replenti exitum concedat, et aquaeductui cochleae, ut diximus, faciat originem. Scala igitur tympani etsi longitudine cedat scalae vestibuli (XXI), ampliori tamen, maxime propter fenestram rotundam, gaudet lumine, ut saepe dupla, non infrequenter tripla ratione illam superet. Debuit namque NATURA scalam vestibuli, quae humorem ducit, cujus motu zona cochleae percellitur, angustiorem facere, ut inter humorem, et zonam frictio crescceret, augeretúrque sensatio (XLVIII); scalam vero tympani, quae diversorium sistit huic humori ampliorem efformare. Tympani vero scala sicubi amplior, ad fenestram certe rotundam amplissima est, ubi posteriorem habet parietem in pelvim infundibulo similem excavatum cujus in fundo Tora-

(p) Loc. cit.

men (*q*) apertum est. Fenestra autem rotunda in ea parte, quae foramini proxima est, constanter *ligulam osseam* (*r*) educit, quae veluti sepimentum foraminis regioni format. Cujus hic est fortasse usus, ut appellens ad rotundam fenestram humor, non membranam fenestrae, sed os offenderet; hoc etenim nullibi cedens, resistit humori, omnemque ejus vim in proximum aquaeductus orificium convertit. Huic foramini continuatur canalis (*s*), qui intra petrosi ossis substantiam, sub canale nervorum communi (XXII) angustissimus decurrit, et post unius fere lineae decursum, sensim sensimque in majorem canalem dilatatur, qui per tres quandoque lineas descendens, in calvariae cavum se aperit, sub termino exteriori orificii canalis nervorum communis (*t*). Integra igitur canalis longitudo, etsi pro subjectorum diversitate varia est, cum viderim ad sex, et ultra, lineas se extendisse, saepe tamen quatuor fere, aut quinque lineas adaequat. Decursus vero, respectu horizontis, ab ortu deorsum retrorsumque vergit.

LXXV. Hic canalis est cochleae aquaeductus, cujus principium est in cavo scalae tym-

---

(q) Tab. I. fig. 3. p. fig. 5. f.

(r) Ibid. fig. 6. f.

(s) Ibid. fig. 5. bb.

(t) Tab. I. fig. 1. pp. fig. 2. m.

pani, finis in calvariae cavitate: apertum semper utrumque nulloque membranarum genere, vel minima ex parte, clausum. Ejus originem in cochlea *orificium superius* appellamus, terminum sub canale nervorum communi *orificium* dicimus ejusdem *inferius*. Illud arctum adeo, ut saepe tenuissimae setae aditum deneget, hoc ita patens, ut unius saepe, duarum non raro linearum lumen viderim obtinuisse. Hoc ergo lumen a superiori ad inferius orificium continuo crescit, et ejus caussa aquaeductus tubae sonorae formam quodammodo indipiscitur. Orificium autem inferius in quamdam triangularis areae speciem desinit (*u*); cujus unum latus in eo est margine orificii, qui sub canali observatur nervorum communi (*x*), duo reliqua antrorsum ad se invicem accedunt. Postrema tamen haec latera in angulum non conveniunt, sed hiatum relinquunt inter se, quo *semicanalis* (*y*) continetur, qui antrorsum descendens, in posteriorem desinit partem illius loci, in quo fovea pro diverticulo venae jugularis (*z*), cum foramine carotidem ducente (*a*), in latere petrosi ossis infimo, se contingunt. Hinc anteriora haec aquae-

---

(u) Tab. 1. fig. 2. m. 2. n.
(x) Ibid. fig. 1. p p. fig. 2. k.
(y) Ibid. fig. 1. q. fig. 2. n.
(z) Ibid. fig. 1. y.
(a) Ibid. k.

ductus latera, si ex parte cavitatis calvariae, durae matris tegumento exutae conspiciuntur, hoc semicanali distincta observantur. Qua in observatione haec etiam memoria digna deprehendi, quod latius semper videatur horum laterum posterius, ad occiput conversum, et quod versus latus idem cavea aquaeductus maxime sit proclivis. Hujus semicanalis prima origo non ab hoc ipso tamen intervallo est, sed a summo derivat aquaeductu, qui tota anteriori parte declivis hunc sequitur semicanalem. Saepe hic tamen (et hujusmodi exemplorum longa apud nos series invenitur), succrescente osse, in integrum canalem tota ea parte conflatur, quae per inferius latus petrosi ossis excurrit.

LXXVI. Ille autem margo orificii inferioris cochleae aquaeductus, qui ad cavum calvariae pertinet (*b*), maxima NATURAE constantia, arcus formam repraesentat, cujus tanta saepe elegantia est, ut spectatoris animum attentionemque facile ad se convertat. Arcus hic veluti *janua*m aquaeductui sistit, per quam, descendens ab aquaeductu humor, intra cranii cavitatem effunditur. Hujus vero variare solet amplitudo. Saepe autem peramplam ita vidi, ut oculo applicato, statim progressum canalis, viam cochleae affectantis, apertissime deprehenderim; maxime si dura matre adhuc omnia integre obducebantur.

(b) Ibid. fig. 1. p p. fig. 2. k. Tab. 2. k.

LXXVII. Dura namque mater per hanc januam intra cochleae aquaeductum penetrat, eumque totum investit. In hoc ingressu ita ipso arcuato jannae margini est accomodata, ut non hic eam normam teneat, quam, maxime in ingressu per opticum foramen intra orbitam, tenet, in quo non prorsus circa supremum acutum marginem foraminis ossei accomodatur, sed ad aliquam ab osseo margine distantiam reflectitur, plicamque constanter format, quae nervi optici introitui parvi *tentorii* forma superponitur. Ab arcuato autem januae margine ad cochleam ascendens, hujus continuatur periostio. Hinc etsi per vestibuli aquaeductum sola exterior hujus membranae lamina vestibulo, continuisque canalibus periostium elargiatur (LX); per hunc cochleae tamen aquaeductum integra membrana ad cochleam ascendit, ejusque facit periostium. Ita ut non immerito dici posse videatur, firmitatem, qua zona cochleae gaudet prae vestibuli periostio, huic in primis membranae deberi; et membranae fenestrae rotundae laminam internam ab hac membrana oriri, externam a tympani cavitatis tegumento (XIX). Posita vero continuitate periostii scalae tympani cum illo, quo vestibuli scala, vestibulum ipsum, et canales investiuntur, asseri tuto posse videtur, utramque laminam durae matris labyrinthi periostium elargiri.

LXXVIII. Producitur tamen intra hunc aquaeductum dura mater ita, ut, dum aquaeductum induit, semicanalem ei continuum (LXXV) aliqua parte sequatur. Et si integra persistente interna calvariae basi, duraque adhuc matre induta, intra hunc prospexerimus aquaeductum, tubum conicum vacuumque hunc referre observabimus, cujus angustissimus finis viam cochleae tenet. In hoc prospectu per inferius aquaeductus orificium vulpinam setam saepissime immisimus, quam gratissimo spectaculo intra tympani scalam invenimus penetrasse. Imo fistulae Anellianae tubulum in angustiorem usque intrusimus aquaeductus partem, et mercurium injecimus, qui ita intra cochleam penetravit, ut tympani vestibulique scalam impleverit, inque vestibulum, canalesque penetraverit semicirculares. Nec unquam melius proprio in situ zonam exsiccatam observavi, quam ubi, injecto antea per hunc aquaeductum mercurio, cochleam replente, zona fuerat exsiccata. Contra vero, si per superius aquaeductus orificium seta immittitur, penetrare aliquando, (neque enim in omnibus, aut aeque patet eo in loco aquaeductus, aut aeque setam admittit), nunquam vero, propter conicam setae figuram, omnem aquaeductus longitudinem percurrere observatur.

LXXIX. Est cur in hoc tamen loco mi-

nime praeteream experimenta duo, quae si minus ad hanc, de qua modo scribimus, rem dilucidandam pertinere videbuntur, non parum tamen ad ea, quae superius proposuimus, confirmanda, lucis poterunt afferre. Quod nempe injecto per aquaeductum cochleae mercurio, ubi hic labyrinthum penetravit, et attolli stapes (XXXVI), et perflui humore membranea cavitas vestibuli aquaeductus observatur. Per hunc vero vestibuli aquaeductum si mercurius injectus est, dumque injicitur, oculi in cavum aquaeductus cochleae prospiciunt, non parvam humoris vim per hunc descendere illico apparet. Quae duo et stapedis basim exacte deligari cum ovali fenestra (XXXVI), et totum labyrinthi cavum humore repleri, evidentissime demonstrant.

LXXX. Educto igitur e calvaria cerebro, inspectaque illius basi dura adhuc matre induta, omnibusque referta nervorum principiis a cerebro evulsis, exque suis foraminibus, per quae extra cranium exeunt, supra duram matrem, propendentibus; sub janua cochleae aquaeductus (*c*) nervosus ramulus observatur penetrare (*d*), qui certe in caussa fuit, cur minus ab Anatomicis foramen hoc attenderetur, haberetur que pro uno ex jis foraminibus, quae ner-

(c) Tab. 2. k. (d) Tab. 2. i.

vorum exitui destinarentur. Est hic nervus anterior octavi paris nervorum cerebri, sive vagi, pars, quae, constantia NATURAE summa, reliquis ab filis nervi hujus separata, sub janua transit cochleae aquaeductus. Transit vero per januae pavimentum, et ascendens contra anteriorem aquaeductus partem, ubi ad semicanalis (LXXV) originem pervenit, dura matre excipitur, et semicanalis ductum sequutus extra cranium descendit, maximamque partem sui in lingua insumit. Locus vero, per quem intrat semicanalem, saepe rimae similis est, cujus origo, sulco persimilis, a summa anteriori aquaeductus parte inchoatur. Frequens est quoque varietas in distantia intercedente inter insertionem hujus partis anterioris paris octavi, et fascis reliqui (*e*). Cum semper etenim janua aquaeductus anterior sit eo foramine, per quod fascis integer octavi nervorum paris penetrat, et ab eodem manifesto distet intervallo, saepe tamen simul superior est, nec raro margo posterior januae cum superiori margine continuatur ejusdem foraminis, per quod intrat major fascis paris octavi. Multa sunt, quae de nervi hujus decursu nos deteximus, quaeque ad auditus mechanismum rectius intelligendum mire conferunt. De hoc vero eo putamus tempore nos

(e) Tab. 2. l.

opportunius edisserturos, in quo de integra auditus organi fabrica, et de sternutationis theoria aliquid proferemus.

LXXXI. Ingenue tamen fateor, me primum hujus cochleae aquaeductus vestigium, non quidem in homine, sed in equo observasse; cujus organum auditus cum attente perlustrarem, parietem posteriorem scalae tympani, prope fenestram rotundam, in peramplum infundibulum excavatum deprehendi. In hujus vero infundibuli fundo, aut propter aliquam terrae partem, quae facile in osse, quod a littore maris curaveram deferri, potuit penetrare; aut quia minus attente observarem, apertionem esse nullam credidi. Ad alia distractus, diu mihi memoriter haesit illa in equo observata fovea, quae effecit, ut cum primum me collegissem, in humanis cochleis inquisierim. Has ergo, etsi minus amplo, satis conspicuo tamen infundibulo donatas inveni. Cumque in cane, simia, lepore, aliisque quadrupedibus, in quibus de vestibuli aquaeductu inquisivi, idem perquirerem, ad eumdem ego locum infundibulum in his quoque observavi. Tunc Valsalvae lustrare librum, et Morgagni: atque apud illum negari, apud hunc describi foramen animadverti, sed vasis ducendis destinatum. Quamquam vero paullo post viderem, elegantissimum vas, infundibulum hoc trajiciens, pinxisse Cassebok-

mium (*f*); nihilo tamen minus neque hunc, neque Morgagnum, arteria ne, an vena esset, quidquam proferre, non sine maxima admiratione, observabam. Factum his, ut, cum me voluntas occuparet detegendi naturam vasis hujus, setam, limamque arriperem, et canalem persequerer infundibulo continuum. Setae igitur apicem iufundibuli fundo primum indidi, dein per unum infundibuli latus limam agitando, tantum ossis consumsi, ut intrusam detegerim setae partem. Hinc ulterius setam impellendo, persequendoque canalem, eum fieri continuo ampliorem animadverti, inque illum tandem locum desinere, qui sub canali collocatur nervorum communi. Tum miratus, in sicco ceterum osse, canalis formam et finem, injustam vidi Cassebohmii censuram, quam pro fine hujus canalis texuit Du Verneyo (LXXIII). Coepi ex hoc tamen cogitare mecum, ecquid esset caussae, quod neque ad carotidis canalem, neque ad jugularis diverticulum hic tenderet ductus, unde arteriam facile posset venamve suscipere, sed terminaretur in loco, parum equidem favente horum vasorum ingressui. His accedebat, me probe meminisse, sub terminum canalis hujus, octavi paris nervorum cerebri anteriorem ramum pertransire. In his dum haere-

(f) Lib. cit. Tab. 5. fig. 8. b.

bam, alias mihi, atque alias difficultates accedere animadverti, quae meam mire perplexitatem augebant. Recens ergo caput afferri jussi, in quo rem inquirendo, vidi apertum a me antea sicco in osse canalem, vacuum perviumque in hoc pariter esse. Cumque partim dissecando, partim seta et injectione multis in cadaveribus ea tentarem, quae ad hunc locum protuli, liberum ubique semper, perviumque canalem, absque ulla naturae inconstantia, deprehendi.

LXXXII. Si pervius ergo liberoque lumine gaudet canalis hic, qui cochleae facit aquaeductum, quid putabimus fuisse caussae, cur summi viri, omnique fide dignissimi, vasorum hunc esse transitui destinatum contenderint: et non contenderint modo, sed vidisse se aut transeuntia per ipsum vasa aut vestigia traductorum affirmaverint? Fuit equidem hoc unum, quo vehementer impulsus sum, plures ut cochleas, suffocatorum maxime hominum, aut aliquo sanguinis in caput rapto demortuorum, data opportunitate perlustrarem. Re penitius autem ita perspecta, spe frustrari non sum visus; quandoquidem detexi facillimum fuisse tot clarissimis viris in ea re decipi, in qua, nisi summa adhibeatur diligentia, peritissimus quisque facile deciperetur. Vere enim sanguiferum est vas intra cochleam, quod suos per zonam, et scalas, ramulos dispergit; cujus origo, sive trun-

cus, ita proxime orificium superius cochleae aquaeductus introrsum emergit, ut vix decimae lineae pars inter orificium illud, et vasis originem intercedat (g). Vas autem illud vena est, in quam omnis fere corrivat cochleae sanguis, cujus truncus ex orificii aquaeductus vicinia, per ossis petrosi meditullium descendens (h), versus jugularem se protendit. Hic attamen truncus dum per cochleam decurrit, tympani scalae fundum tenet, ubi ramuli omnes confluunt, scalam vestibuli, laminam spiralem, zonamque cochleae percurrentes. Insigniores vero rami, ut et princeps truncus, non in cochleae periostio sedem habent, sed subter osseam internam cochleae superficiem reconditi decurrunt. Et quando sanguine hoc vas turgidum offendi contigit, quod rarum sane non est, nunquam aperiri, aut contentus ab eo potest sanguis educi, nisi primum os, venae truncum ramosque tegens, deradatur. In istam ego venam, ramulum, vidi a vestibulo subter ortum laminae spiralis (i), venientem, desinere. Hunc ramulum puto pro arteriae ramulo descripsisse Du Verneyum (k), eumque esse, quem cum non vidisset Cassebohmius acri Du Verneyum censura prosequutus

(g) Tab. 1. fig. 5. f ad d superius.
(h) Ibidem d d.
(i) Tab. 1. fig. 5. h.
(k) Loc. cit. p. m. 10. n. 3.

est (*l*). Venae cochleae truncus, ut se in jugularem demittat per canalem petrosi ossis, cochleae aquaeductui vicinissimum, ac fere parallelum (*m*) decurrit, qui sensim latior in parvum foramen desinit, prope originem apertum (*n*) semicanalis, qui huic continuatur aquaeductui (LXXV). Hoc ex loco vidi venam frequenter in sinum petrosum inferiorem, proxime ejus insertionem in diverticulum jugularis, aliquando in ipsum diverticulum exoneratum iri. Mirum ergo non est, si vas sanguiferum, cujus origo adeo proxima visitur superiori cochleae aquaeductus orificio, ab hoc emergere, facile Cl. viri judicaverint.

LXXXIII. Quando igitur de venosis cochleae vasis dicere voluimus, non abs re fore putamus de alia vestibuli vena quaedam adnectere, quae tantam habet cum hac cochleae vena analogiam, ut ejus amet decursum imitari. Nam collectis omnibus in unum ramulis, quos per vestibulum, canalesque semicirculares dirempserat, proxime orificium vestibuli aquaeductus, suum exorditur profectum, perque meatum petrosi ossis, ipsi aquaeductui adsidentem, decurrit, atque in foramen desinit in inferiori

---

(l) Lib. cit. §. 247.
(m) Tab. 1. fig. 5. d d.
(n) Tab. 1. fig. 1. r. fig. 2. o. fig. 5. e.

rimae parte, qua hic terminatur aquaeductus, patens. Eo autem ab foramine, per laminam exteriorem durae matris, parietem anteriorem cavitatis membraneae aquaeductus vestibuli, facientis, insinuata, descendit, inque proximum lateralem sinum aperitur. Saepe cum eam caveam vestibuli aquaeductus aperirem, laminam tantum internam durae matris incidendo, in relicta lamina, exteriorem caveae parietem ossi proximum, contegente, venae hujus descensum animadverti. Arteriae vero, quae vestibulum intrant (XXXI) nervorum ductum sequuntur, perque canalium superficiem repunt ab osse distinctae; unus attamen, qui cochleam eodem ex trunco, ramus adit, quique maxime foramen tenet axim modioli percurrens, suo in transitu ramulos dat, qui per intervallum lamellarum laminae spiralis intrant cochleae zonam. Neque ejus superiores ultimi rami, qui per infundibulum disperguntur (o), nudi liberique decurrunt, sed inter ossis infundibulum facientis lamellas progrediuntur.

LXXXIV. Pauca sunt in fetu, quae aut de cochleae aquaeductu, aut de labyrinthi vasis merentur recenseri. In hoc ergo, janua arcuata inferioris orificii cochleae aquaeductus, rudis,

---

(o) Tab. I. fig. 7. o.

et incompleta apparet (*p*), neque semicanalis osseus ei continuus valde conspicuus est. Brevissimus est pariter aquaeductus, nec minus angustus. Foramen autem venae vestibuli (LXXXIII), quod rimae adjunctum est, longe patentius in fetu observatur (*q*). Bruta vero, et maxime quadrupeda, quibus aquaeductus vestibuli denegatus non est, hoc cochleae quoque gaudent aquaeductu: cujus superius orificium adeo in his patens est, ut mirari non desinam, in equo praesertim, et bove, peramplum infundibulum in quod excavatur. Videtur in his tamen NATURA, quod orificio detraxerat vestibuli aquaeductus, huic cochleae aquaeductui reddidisse, ut quemadmodum in his, angustis existentibus canalibus semicircularibus, angustum vestibuli aquaeductus est orificium, sic peramplis factis cochleae scalis, ejus aquaeductus origo amplissima suppeteret. An ideo angustum homini, patentius quadrupedibus hoc aquaeductus cochleae orificium datum est, quia tremor elasticae laminae spiralis, et latioris zonae cochleae, ita percelluut scalae tympani humorem in homine, ut nisi angusto foramine aquaeductus oriretur, unico ictu stapedis humor excerni posset abundantissimus; in brutis vero propter osseam durissimamque laminae spiralis indolem, nimiam-

(p) Tab. I. fig. 4. l l. (q) Ibid. k.

que zonae brevitatem, hoc deficiente in auditu tremore, nisi amplum esset aquaeductus cochleae orificium, difficile scalae tympani humor evacuaretur?

LXXXV. Jam modo igitur possumus ex habita cochleae aquaeductus descriptione concludere, humorem vestibuli uno stapedis impulsu motum, partim per vestibuli, partim per cochleae aquaeductum effluere. Hujus autem cochleae aquaeductus, proxime superius orificium, angustia, ad idem videtur officium destinata, ad quod in aquaeductu vestibuli est instituta. Ut in contactu nempe, quem, plane maximum, habere solet humor cum lateribus vasis angustissimi, per quod movetur, frictione aucta, aliquam in motu tarditatem experiretur. Singulis ergo vicibus quibus stapes impellit vestibuli humorem, et agitatur cochlea (XLVIII), per aquaeductum hunc tantum humoris excernitur, quantum satis est, ut adveniens in tympani scalam humor (LIV) locum inveniat. Quidquid autem ab eo excidit, intra calvariae cavum extillat. Nec quaerere oportet quam viam humor hic intra calvariam excretus inde teneat; nam per eamdem viam redditur sanguini, per quam fumus intra calvariam ab extremis arteriarum osculis exhalans absorbetur. Emittit enim continuo tota interior durae matris superficies, in vivo animali, fumum, qui per extremitates

excernitur exhalantium arteriarum, quique in cadaveribus tenuis roris forma duram matrem, et exteriorem arachnoideae faciem humectat. Fumus hic non modo coalescentiam impedit durae ipsius cum arachnoidea, qua cerebrum involutum est, sed per ipsius durae matris sinus omnes insinuatus, quibus plerique nervorum cerebri trunci per aliquem tractum excipiuntur, eosdem nervos fovet balineoque coërcet. Hujus autem balinei efficacia nervi continenter molliti, humori quem vehunt, faciles se exhibent.

LXXXVI. Sinus hi, quos *sinus* dicere consuevi *nervorum vaginales*, etsi ad omnes fere cerebri nervos pertineant, in tribus tamen maxime sunt insignes; excepto durae matris infundibulo, spinalem medullam coërcente, quod *sinus maximus vaginalis* dici debet. Hi tres vero sunt sinus opticus, paris quinti, et acusticus. *Opticum* facit *sinum* ea durae matris productio, quae per foramen opticum reflexa, facto in ingressu tentorii (LXXVII) opticum nervum ad oculum usque comitatur. Haec aliquot cellulosis filis incluso optico laxe colligata, vapore pervaditur calvariae cavi, quem collectum in ejus termino, prope oculum, saepe observavimus. *Sinum paris quinti* dura quoque mater habet, quae ovali peramplo foramine hujus nervi truncum libera excipit (r), et ad trium ejus

(r) Tab. 2. d d.

usque ramorum originem libere intra se progredi sinit. *Sinum* tandem *acusticum* canalis nervorum communis continet. Hi omnes veluti intra vaginas, pro nervorum, quos ducunt crassitie ampliores, nervos continent, qui perpetuo vapore perfluuntur calvariae cavi. Ne vero crescceret vapor hic, collectusque officeret, propriis venulis absorbetur durae matris, quarum oscula pleraque in superficie hujus membranae interna aperiuntur. Vidi enim injectum mercurium intra membraneam cavitatem vestibuli aquaeductus, et ab ea in durae matris venulas propulsum, indeque versus radices extremas venularum pressum, pluribus ex locis superficiei internae durae matris exsudasse. Quod documento est, sanguiferarum venarum durae matris radices aliquas in ejus interna superficie aperiri, indeque fumum exsugere, quem arteriarum extremitates exsudarant.

LXXXVII. Nunc descriptis jam aquaeductibus, qui a labyrinthi cavo suam ducunt originem, ea quae intra nos fiunt, cum sonantia corpora sentimus, breviter superius dicta repetendo, clarius intelligentur. Dum igitur sonorum corpus vibrat, in omni vibratione proximum aëra projicit, in sphaeram sonoro puncto concentricam. Hic circulariter motus aër unda dicitur sonora. In omni sono, quot vibrationes sunt, tot undae sonorae generantur, omnes con-

Digitized by Google

centricae. Singula igitur unda, ubicumque in sphaera suae propagationis meatum auditorium offendit, sic se nobis manifestat. Percurso meatu, suisque flexibus roborata, in oppositam tympani membranam (XXXIII) vim infert. Cedere igitur, ducique tantulum introrsum, haec membrana coacta, sibi adnexum mallei manubrium (XXXIV) interiora versus secum trahit. Malleus cedere nescius, nisi motus circa Folii processum, ut axim (XXXIV), dum manubrio introrsum tendit, capite suo vergit extrorsum. Sed ejus capiti articulata basis incudis. Trahet igitur caput mallei basim istam. Movetur autem incus super crure posteriori, ut centro, ita ut quo extrorsum magis basis tendit, hoc crus alterum longius, basi continuum, promovetur introrsum. Sic dum tympani membrana pellitur, et manubrium mallei, et crus longius incudis interiora versus propelluntur: Longiori vero incudis cruri, intermedio lenticulari osse, capitulo suo stapes affigitur, cujus basis implet fenestram ovalem, eique mobiliter in circuitu est deligata (XXXIV). Dum movetur ergo membrana tympani, cum mallei manubrio, et crure incudis longo, versus vestibulum stapes una impellitur.

LXXXVIII. Tendunt autem haec omnia introrsum magis, vel minus, prout impulsus aëris major minorque est. Huic tamen introdu-

ctioni auxiliares vires NATURA praefecit, quae ad minimum membranae tympani motum statim succurrunt, introitumque adjuvant. Vires istae a tympani chorda (XXIII) moventur, quae adhaerescens transversim membranae tympani, eidemque saepissime cellularibus productionibus deligata, inter mallei manubrium, supra quod transit, proprio haud raro semicanali excepta, et crus longius incudis, decurrit. Concipit igitur nervus hic eumdem membranae tremorem, et singulis vicibus, quibus membrana movetur, ipse tremit. Sed si nervum concutias, rami omnes eodem ex trunco prognati trahuntur in tremorem. Hinc rami omnes nervi duri, maxime ii, qui vicinores chordae sunt, singulis in tremoribus tympani membranae, concutiuntur. Concussi nervi celeriorem influxum sui fluidi promovent, et si qui musculi sunt his nervis animati, in hoc velociori nervosae substantiae adventu, copiosiorique, contractionem indipiscuntur: cujus duratio rationem temporis sequetur, quo indesinenter nervi copiosius manant. Musculus igitur Eustachii, atque stapedis (XXXV), quibus a nervo duro rami sunt, in singulis membranae tympani impulsionibus, contrahentur. Et Eustachii quidem musculus vehementius manubrium mallei introrsum trahet, et cum eo membranam tympani, crus longius incudis, atque stapedem (LXXXVII): stapedis autem musculus

posteriora versus attrahens stapedem, normam, directionemque ejus motui dabit: impellet nempe posteriorem ejus partem versus vestibulum, anteriori immobili relicta vi ligamentorum (XXXV, XXXVI).

LXXXIX. A posteriori autem baseos stapedis extremo, per spatium 1/4 lineae partis (XL) penetrare valenti, humor pressus vestibulum cum reliquo labyrintho implens, in omni puncto superficiei labyrinthi pressionem a stapede susceptam refundet. Haec autem labyrinthi superficies duobus tantum in locis cedere apta est, in orificio nempe tum aquaeductus vestibuli (LVIII), cum cochleae (LXXV). Per haec igitur orificia illa humoris quantitas excernetur, quae ingressum stapedi alias contendisset. Ingressum hunc stapedis vero, labyrinthi nervi sentiunt omnes. Septum (XXXIX) intranti stapedi oppositum premitur, et quia humorem cavitatis vestibuli anterioris, spatio jam in vestibulo parato, ob humorem ab aquaeductibus excretum (LXX, LXXXV) per canalem externum (XLII) sibi facilem experitur, cedit pressioni; restitutoque stapede, atque descendente superioris canalis humore (XLIII), in situm pristinum reducitur. Zona cochleae eodem tempore ab humore per scalam vestibuli penetrante agitatur. Et simul fila maculae orificii proprii canalis posterioris, et cavitatis hemisphaericae (XLVIII).

XC. Ita quot vicibus corpus sonans tremit, impelluntur nervi omnes labyrinthi (XLVIII), et prout validior remissiorve sonori corporis tremor est, nervis acusticis, major, minorve motus communicatur. Nervi acceptum tremorem communi referunt sensorio, retrogrado fortasse motu fluidi nervosi, et anima in eo sonum percipit. Apparet ex hoc, sensationem auditus in tremore consistere nervorum acusticorum, exacte respondente tremori corporis sonantis. Videturque, naturam congeneres sensationibus, quae intra nos debent excitari, impressiones nervis nostris communicari voluisse. Et quemadmodum in visu, corporum imagines percepturi, imaginem in retina pictam accipimus, sic auditu tremorem corporum haurimus pari tremore in acusticis nervis excitato. Ut quemadmodum sonus in motu consistit, motu etiam nervorum conciperetur.

XCI. Integra igitur perceptio soni, in singulorum tremorum a sonante corpore editorum perceptione consistit, atque anima tum integrum aliquem sonum percipit, cum plenum ejus tremorum numerum agnoscit. Ita similes dicimus sonos, quoties eumdem in utroque tremorum numerum percipimus. Sunt igitur nervi acustici quasi chordae in singulo tremore sonori corporis semel oscillantes, totque cum audimus impressiones cerebro numeratim imper-

tientes ; quot numero sunt sonori corporis vibrationes . Sed quae chorda semel percussa oscillat semel ? Certe quae tensa nimium, et siccissima chorda est, semel pulsata, valide , diutinsque tremit ; sed vitare NATURA hanc multiplicem oscillationem in chordis nostris acusticis visa est , neque enim tensas nimium , neque aridas , sed molles , et fluido continuo pressas (XXIX) easdem efformavit. Ita enim fit , ut , cum a stapede impelluntur , nunquam acceptum continuent tremorem , sed semel motae , quiescant , nec iterum moveantur , nisi nova accedat stapedis impulsio . Omnis enim tremorum continuatio, quam percussae chordae tensaeque perficiunt , si metallicae sunt , et humore aquoso non circumfusae , in acusticis chordis nervosis inhibita est , quae molles factae sunt , et humore coërcentur , in quo superfluus omnis chordae tremor emoritur.

XCII. Apparet ex hoc, quam magno NATURAE instituto factum sit, ut nervi labyrinthi , maxima parte , in unam expansionem confluerent , toto ambitu vestibuli parietibus alligatam, cujusmodi septum nervosum vestibuli (XXVI) est. Hoc enim septum amplam firmamque chordam , sive seriem , tot chordarum parallelarum, quot nervosa fila complectitur , repraesentat , quae , moto a stapede humori , undique opponuntur , ejusque vim integram accipiunt : nec

aliam praeter hanc unam motionem accipere possunt, secus ac fieret, si septum toto ambitu non esset circumligatum (XLIX). Canales ergo semicirculares opportunissime ita humoris vestibuli motum dirigunt, ut septum nunquam a perpetuo discedat humoris contactu; cujus quidem humoris efficacia cavetur, ne sicca fiant nervosa fila, et perennando tremori apta reddantur. Quam pessime igitur sibi NATURA consuluisset, si non humore, sed aëre plenum, ut vulgaris opinio fert, fecisset labyrinthum. Quid enim aptius persiccandis corporibus aëre: quid perniciosius auditui siccitate nervorum acusticorum. Haec quippe sola siccitas uti disponeret fibras efficiendis pluribus vibrationibus, uno tantum ictu accepto, ita alias atque alias impressiones cerebro communicari permitteret, quam quae exacte a sonoro corpore proficiscuntur. Sed quae inde sincera soni cujusque, distinctaque perceptio? Apparet aeque necessitas cochleae, in qua series chordarum parallelarum tensarumque cymbalo similis abscondetur, cujus in zona cochleae sedes est, quae fila nervosa a spirali lamina accepta, et parallela continet longitudinis variae. Harum ego chordarum minimam in zonae origine pono, prope orificium scalae tympani, ubi arctissima zona est, maximam vero versus zonae hamulum. Quemadmodum ergo edito sono aliquo, etiam vocis humanae,

observatur ex tot cymbali chordis unam tremere, quae in eodem unisono cum sono dato est, ita in quovis dato sono, intra cochleam, quae cymbalum nostrum est, propria unisona respondens chorda datur, quae unisone contremiscens ejus soni animae distinctionem exhibet. In hoc fortassis ratio posita est cur duorum circulorum cum dimidio longitudinem cochlea non excedat, quasi in eo contineri possit spatio tantae longitudinis zona, ut habeat, possibiles omnes chordas, tonis, quos audire possumus, unisone respondentes. Septo igitur sonum percipimus, cochlea tonos discernimus. Sed de his alias, et plura.

XCIII. Cum igitur ostenderim ex acusticorum nervorum numero oscillationum iis sonori corporis pari auditum emergere, et ad hoc naturam 1. recte nervosum vestibulo dedisse septum, 2. rectius humorem id undique, cochleaeque zonam, reliquosque labyrinthi nervos coërcentem, 3. opportune canales semicirculares ita positos, ut nervorum motum permitterent, sed nunquam defectum humoris circum nervos, ad supervacaneas oscillationes compescendas, fieri sinerent, 4. merito denegasse aërem labyrintho, ne siccaret nervos, ordinatisque motionibus redderet ineptos, illud mihi videtur esse reliqui, ut ostendam, quomodo continua humoris jactura, quam in singulo stapedis impulsu per aquae-

ductum, maxime cochleae, labyrinthus sustinet, reparetur. Quidquid perdit ergo labyrinthus, id omne exhalantes restituunt arteriae, quarum copia insignis in labyrintho est. Mihi vero videtur minime absonum, nervos, maxime in cavitate hemisphaerica, et macula orificii proprii canalis posterioris, libere fluitantes, aliquid ab extremis suis in singulis exhalare stapedis concussionibus. Ita possemus facile Vieussenii non improbare sententiam, opinantis, lympham vestibulum implentem spirituum animalium esse plenissimam, nisi hoc inde deduxisset, quod aperto labyrintho *uno temporis puncto ipsa dissipetur, et in auras abeat* (s), quod omnino, ut recte visum Morgagno, falsum est.

XCIV. Quae caussa tinnitus aurium? Aut vibratio aucta arteriarum zonam cochleae, septumque nervosum perreptantium, ut in raptis sanguinis violentioribus erga caput, spasmo hysterico, hypochondriaco, phraenitide etc.; aut recurrens convulsiva contractio musculi Eustachii, vel stapedis, qua stapes pellitur intra vestibulum, et humorem movet, qui ita nervos agitat, ut hi, sibili illius sensationem animae repraesentent.

FINIS.

(s) Apud Morgagnum Epist. Anat. XII. §.64. p.m.330.

TABULARUM

EXPLICATIO.

TABULA PRIMA.

FIGURA PRIMA.

Repraesentat integrum os petrosum dextrum hominis adulti, a reliquis vicinis ossibus, ipsaque parte squamosa, separatum; visum a latere interno posteriori, quod camaram, vulgo dictam, cerebelli anterius complet. In quo prospectu inferioris maxime sui lateris partem exhibet potiorem.

a a a. Angulus superior a concursu factus laterum internorum, posterioris nempe, et superioris: cui tentorii dextri durae matris margo anterior affixus est. In eo sulcus apparet, sinum parvum venosum durae matris recondens, qui sinus petrosus superior dictus est, et in lateralem sinum exoneratur. Tab. 2. R.

b b. Pars in hoc situ conspicua lateris superioris in tuber elevata, sub quo absconditus est canalis semicircularis superior. Tab. 1. Fig. 2. c.

c c. Latus posterius ossis petrosi.

d d. Foveae sigmoideae dextrae, in qua lateralis si-

nus durae matris dexter hospitatur, pars quae in osse petroso insculpta est.

eee. Margo, quo os petrosum cum lateribus mediis ossis occipitis conjungebatur.

f. Apophysis mammillaris majoris facies interior.

g. Minor apophysis mammillaris adjacens introrsum basi majoris.

h. Sulcus inter utramque apophysim intercedens, cui digastrici maxillae posterior extremitas inserta est.

i. Processus styliformis.

k. Orificium canalis, per quem carotis interna cavum calvariae petit.

ll. Sulcus pro collocatione sinus durae matris, quem petrosum inferiorem appellant.

mm. Rima sigmoideae fovcae proxima, in qua terminat aquaeductus vestibuli ossea pars. Tab. 2. tt.

n. Foramen pro venarum transitu ab intimo petroso osse ad duram matrem.

oo. Foramen acusticum pro ingressu nervorum paris septimi, a quo canalis nervorum communis ortus intra os petrosum protenditur.

1. Semicanalis superior, quem habet in facie anteriori canalis nervorum communis.

2. Ejusdem faciei semicanalis inferior.

3. Spina intermedia.

pp. Arcus osseus, januam constituens orificii inferioris cochleae aquaeductus.

q. Semicanalis, eidem inferiori cochleae aquaeductus orificio continuus, per quem anterior portio nervi octavi paris extra calvariam defertur.

r. Foramen per quod vena cochleae exit.

s. Orificium internum canalis, per quem venae occipitalis truncus in lateralem sinum exoneratur.

t. Orificium externum ejusdem canalis, cui portio canalis altera adjungebatur in osse occipitis relicta. Vena etenim occipitalis in hoc subjecto per foramen in osse occipitis factum canalem suum ingrediebatur.

u. Cellulae aliquot mastoideae detectae, non quia fractae sunt, sed quia, in hoc subjecto, cellulae hae petrosi ossis limites egressae, intra meditullium adnexi ossis occipitis procurrebant.

x. Margo superior sulci, per quem truncus descendit paris nervorum quinti.

FIGURA SECUNDA.

Demonstrat haec figura integrum labyrinthum dextrum cum communi nervorum canale, et aquaeductibus, visum in naturali situ a parte qua occiput respicit, et abrasione circumpositi ossis detectum. Comparare autem oportet hanc cum figura antecedenti, nam ita apparebit, quomodo intra petrosum os singulae in hac figura repraesentatae labyrinthi partes collocentur.

a. Orificium canalis nervorum communis. Fig. 1. o o.

b. Tuber sub quo vestibuli pars, et cochlea latent.

c. Canalis semicircularis superior, qui sub tubere b fig. 1. erat absconditus.

d d. Canalis semicircularis posterior.

* Locus in quo canalis superior et posterior confluunt in canalem communem.

e. Pars in hoc situ conspicua canalis exterioris.

f. Canalis communis ab unione superioris et posterioris factus.

g. Prima pars aquaeductus vestibuli, quae angustior est ea, quam figura repraesentat, in qua tubus aquaeductum constituens integer servatus est, et circumpositi ossis caussa crassior apparet.

h. Pars ejusdem aquaeductus sensim latescens in cornu hinc, et illinc compressum.

i. Extremitas latior cornu ossei aquaeductus, respondens rimae fig. 1. m m.

k. Aquaeductus cochleae janua arcuata respondens fig. 1. p p.

l. Ejusdem aquaeductus angustior pars versus scalam tympani ad fenestram rotundam tendens, quae longe crassior est, quam cavitati contentae conveniret, ob os circum relictum, ut apparebit comparando hanc figuram cum fig. 5. b b.

m. Orificium inferius aquaeductus cochleae.

n. Semicanalis per auteriorem, inferioremque descendens hujus orificii aquaeductus cochleae partem, respondens fig. 1. q.

o. Foramen parvum, per quod exit vena cochleae, respondens fig. 1. r.

FIGURA TERTIA.

Idem labyrinthus, qui in fig. 2. a posteriori parte demonstratus est, in hac figura ostenditur a parte anteriori, qua tempori obversus est, sed paullum elevatus extra situm, ut reliqua ostenderentur. Proderit hanc figuram cum figura 6. comparare, in qua integra omnia sunt, quae ad cochleam, et vestibulum pertinentia in praesenti figura aperta observantur.

a. Pars anterior canalis nervorum communis.
b. Canalis semicircularis superioris pars in hoc situ conspicua.
c. Canalis semicircularis posterior.
d. Canalis semicircularis exterior.
e e. Vestibulum circum derasa fenestra ovali, in conspectum veniens sola media sua parte, in qua sequentia patent.
f. Orificium canalis communis. Fig. 2. f.
g. Cavitas semiovalis ex parte visa.
h. Cavitatis hemisphaericae portio in hoc situ conspicua.
i. Spina interposita.
k. Pyramis vestibuli utcunque indicata.
l. Orificium aquaeductus vestibuli.
m. Aquaeductus ejusdem extremitas latior respondens fig. 2. h. i.
n. Cochleae gyri.
o. Pars primi cochleae gyri a vestibulo per aliquem

tractum aperta, ad laminam spiralem, et scalas conspiciendas.

1. Scala vestibuli.
2. Scala tympani.

p. Foramen, sive orificium superius aquaeductus cochleae, in scalae tympani principio positum, centrumque occupans parvi infundibuli.

q. Reliqua pars tubi hunc aquaeductum efformantis, quae respondet fig. 2. k.

r. Laminae spiralis pars, a qua gyrus albus detractus est, ut in hoc cochleae positu orificium superius aquaeductus cochleae conspiceretur.

s. Locus in quo gyrus cochleae secundus, intra primum ductus, ei nondum immediate accrescit, sed interventu osseae substantiae.

t. Locus immediatae accretionis.

u. Apicis cochleae cupula, sive fornix.

FIGURA QUARTA.

Ostendit integrum os temporis fetus maturi, visum ex ea parte, qua respicit calvariae cavitatem.

a. Pars squamosa concava.

b. Extremitas processus jugalis conspicua.

c c. Pars petrosa.

d. Orificium canalis nervorum communis.

e. Pars superior canalis semicircularis superioris, quae in fetu distincta supra os petrosum eminet.

f. Pars superior canalis semicircularis posterioris in fetu saepe pariter eminens.

g. Tubus osseus aquaeductus vestibuli. Fig. 2. h i.
h. Cavum in osse sculptum, extremitatem excipiens ossei tubi aquaeductus.
i. Seta intra foramen aquaeductus intrusa.
k. Seta intra foramen insinuata venae vestibuli.
l l. Janua, sive arcuatus margo orificii inferioris cochleae aquaeductus. Fig. 1. p p. fig. 2. k.
m. Seta intra hunc aquaeductum immissa.
n. Foramen, quod aquaeductus Fallopii intra calvariam apertio est, pro transitu rami nervi duri ad canalem Vidianum, cui superius impendet productio ossis acuta, quae divisum foramen ostendit.
o. Foramina, quae in facie interna ossis squamosi e regione ortus apophysis jugalis observantur, vasculorum transitui destinata.
p. Caverna sub canali semicirculari superiori in fetu conspicua, durae matris productione completa, mire ad incrementum verticale canalis hujus conferens. Haec in adulto coarctatur in foramen. Vid. fig. 1. n.
q. Ala anterior superioris lateris ossis petrosi operiens caelum cavitatis tympani.
r r. Commissura hujus alae cum parte squamosa.

FIGURA QUINTA.

Repraesentat partem ossis petrosi sinistri hominis adulti, a quo vestibulum, et canales ablati sunt, solus vero gyrus cochleae primus patefactus est relictus, et a

parte anteriori ita derasum est os, ut progressus aquaeductus cochleae, et venae vestibuli apertissime conspiciatur.

a a. Gyrns cochleae primus per longitudinem patefactus.

b b. Aquaeductus cochleae per totam sui longitudinem apertus.

c. Semicanalis osseus inferiori aquaeductus orificio continuus, pariter in longitudinem divisus. Fig. 1. q. fig. 2. n.

d d. Decursus venae cochleae.

e. Locus in quo intra semicanalem terminat canalis osseus venam ducens. Fig. 1. r. Fig. 2. o.

f. Orificium aquaeductus cochleae superius vicinissimum insertioni venae.

g. Rami duo venae cochleae, qui a trunco emergunt, et per primum cochleae gyrum incipiunt progredi

h. Ramus alter ejusdem venae ad vestibulum pertinens.

FIGURA SEXTA.

Labyrinthum exhibet ab osse petroso dextro extractum, in quo canales denudati sunt, cochlea suo sub tubere integro relicta. Naturalis ejus situs habebitur, si prospectus, in quo est, inferiora versus naturaliter vergere intelligatur.

a. Fenestra ovalis.
b. Locus ubi margo hujus fenestrae curvus fit elatior.
c. Locus ubi margo ejusdem rectus gibbus fit.
d d. Pelvis fenestrae ovalis.
e. Fenestra rotunda.
f. Ligula in hac fenestra contra scalam tympani erecta.
g. Tuber in tympano eminens, sub quod abscondita est cochlea.
h. Canalis semicircularis exterior.
i. Canalis semicircularis superior.
k. Canalis semicircularis posterior.

FIGURA SEPTIMA.

Ostendit apicem cochleae dextrae, qualis apparet cupula detracta fig. 3. u., ut infundibulum, gyri albi laminae spiralis rostrum, terminus et rostrum zonae cochleae naturali in positu conspicerentur. Auctus autem ad decuplum vitro, pictus est.

a a. Semigyrus ultimus cochleae.
b. Extremitas secundi gyri.
c. Centrum infundibuli, sive orificium tubi, circa quem secundi cochleae gyri postrema medietas, et ultimus semigyrus sunt declives.
d. Margo liber, in quo desinit ultimus semigyrus.
e. Rostrum gyri albi laminae spiralis, in quo.

f. Margo concavus,

g. Margo convexus,

h. Apex.

i. Zonae cochleae summa pars.

k. Locus in quo angustatur secuta ductum rostri laminae spiralis.

l l. Margo apicis zonae convexus, qui infundibuli pavimento est alligatus.

m m. Margo ejusdem concavus, qui convexo margini rostri gyri albi laminae spiralis alligatur.

n n. Apex zonae, qui in rostri formam tandem desinit.

o o. Vascula, quae a foramine axem modioli occupante penetrant, et per fundum infundibuli disperguntur.

*. Seta per foramen triangulare, sub rostrum gyri albi laminae spiralis positum, a scala vestibuli in tympani scalam intrusa, et viam ostendit, per quam scalae communicant.

TABULA SECUNDA.

Repraesentat solam partem posteriorem dextram basis calvariae internae dura adhuc matre indutae, in qua integra regio ossis petrosi, et baseos dextrae camarae occipitii, conspicua est, cum cavitate membranea aquaeductus vestibuli patefacta, venis lymphaticis, quae ab ea oriuntur, et truncis omnium nervorum a cerebro prodeuntium, a tertio pari ad nonum.

A. Basis dextra mediae calvariae camarae, in quam caput lobi posterioris cerebri se insinuat.

B. Arteria meningea major, quae per foramen spinosum ossis sphaenoidis calvariae cavum ingressa, per duram matrem distribuitur.

C. Pars durae matris extrorsum propendens.

D. Pars dextra sellae equinae.

E. Dextra pars baseos camarae posterioris calvariae, in qua dexter cerebelli lobus collocatur.

F. Portio altera durae matris extrorsum devoluta.

G G. Medietas dextra foraminis occipitis magni, per quod egreditur spinalis medulla.

H. Principium spinalis medullae a caudice medullae oblongatae separatum, et per medium dissectum. In eo est pars foraminis, quod calami scriptorii crenae continuabatur, et virgarum spinalis medullae dextra pars conspicua.

I. Jugum semilunare, quod in posteriori margine magni foraminis occipitis nascitur, quando contra atlantion retrorsum caput comprimitur.

K K. Falcis cerebelli dextra pars, in qua duae plicae insignes.

L M. Sinus lateralis dexter durae matris resecto tentorio apertus.

N. Pars inferior sinus longitudinalis cum dextro laterali sinu continuata.

O. Foramen, quo mediante sinus longitudinalis, et lateralis dexter cum sinu laterali sinistro, et occipitii sinu inferiori Santorini communicant.

P P. Reliqua pars sinus lateralis latior retro os petrosum dextrum descendens, dura matre adhuc integre operta.

Q. Locus sub quo est lateralis sinus extremitas in diverticulum jugularis venae terminata.

R. Orificium triangulare sinus petrosi superioris, quo cum laterali sinu communicat.

S. Arteria meningea posterior durae matris.

T V. Nudi margines resecti ossis calvariae.

X. Arteria vertebralis dextra resecta ab ingressu intra calvariam.

a. Tertii paris nervorum cerebri nervus dexter, qui duram matrem perforans ad oculi plerosque musculos etc. fertur.

b. Nervus quarti paris, patheticus, in trochleatorem oculi musculum dispersus.

c c. Nervus paris quinti.

d d. Orificium sinus vaginalis durae matris, per quem truncus nervi paris quinti libere decurrit.

e. Nervus paris sexti, qui ad rectum exteriorem tendit oculi musculum.

f. Nervi paris septimi portio dura.

g. Ejusdem septimi paris portio mollis; 1. fasciculus superior, et anterior. 2. fasciculus medius, et anterior omnium inferiorque. 3. fasciculus superior et posterior.

h h. Orificium canalis communis nervorum paris septimi.

i. Paris octavi pars anterior, sub orificii inferioris aquaeductus cochleae januam penetrans.

k. Janua arcuata orificii inferioris cochleae aquaeductus.

l. Octavi paris fascis reliquus.

m m. Nervus accessorius Willisii.

nnnn. Ejus radices a medullae oblongatae caudice separatae.

*. Radix alia ex infimis a spinalis medullae originis posteriori parte procedens.

o. Nervus noni paris.

p p. Angulus superior ossis petrosi, a quo tentorium resectum est.

q q. Locus, in quo latus superius ossis petrosi intumescit, recondens canalem semicircularem superiorem. Tab. 1. fig. 1. b b.

r r. Latus posterius ossis petrosi, in quo desinit vestibuli aquaeductus.

s. Cavitas membranea aquaeductus vestibuli aperta.

t t. Rima, in qua desinit ossea pars aquaeductus vestibuli, et ad cujus directionem prima cavitatis incisio facta est. Tab. 1. fig. 1. m m. fig. 2. i.

uu. Latera dissecta cavitatis membraneae revoluta.

xxxx. Venulae lymphaticae mercurio plenae, a cavitate aquaeductus membranea procedentes, et in lateralem sinum derivatae.

zz. Parvus sinus, in quem duae inferiores venae, a cavea aquaeductus procedentes, cum aliis venulis durae matris, in hoc subjecto conjungebantur.

FINIS.

Fig. 1. 4.



Digitized by Google

D
Q
H
K
O

Digitized by Google

FRAGMENTA

Anatomico-physiologica ejusdem. cl. Cotunnii *etiam ad auditus organum spectantia* (*).

I. Die II Novembris anni 1820. De organico plectriformi peramplo commercio tympani auris humanae cum universa medulla spinae per resticulas nerveas multas inde immissas, eique affixas; ut ad omnem tympani impulsum usu vellicent, et adaequate incutiant plectrorum adinstar.

II. Arcanum mihi fuerat usque ad paucos antehac menses, cui nunquam animum adverteram: neque inquisieram, an commercium organicum interesset inter aures et spinam: quum inexpectato interpellatus sum de phaenomeni natura, et genio, quo juvenis patricius de salute sua semper timens, nec alio satis intentus, affici consueverat, quoties incongruis, vehementibusque sonis repente concuteretur. Ipse enim ad me Medicum accedens, sic fando coepit: rogo te pro veteri, quae inter meos, et te viget amicitia, videas, et perpendas, quid caussae sit, cur.....

(*) Ex syllabo operum inedit. supra laudati Auctoris, qui extat in opusculo (pag. 81, 82), cui titulus *Discorso del Dr. Vulpes per la solenne inaugurazione del busto in marmo di* Domenico Cotugno, *ec. Napoli* 1824.

Hisce fragmentis non alienum est ductum etiam addere, quod circa expositi phaenomeni explicationem in cit. opusculo legitur, italico sermone relatum a laudato D. Vulpes, *qui ex ore b.* Cotunnii *de hac re pluries in eorum mutuis locutionibus audierat.*

» L'A. parlando con me di questo suo
» lavoro più volte mi avea detto, che un gio-
» vane patrizio gli domandava la cagione, per-
» chè ascoltando il suono del gravicembalo sen-
» tiva una scossa alla nuca del collo, che si di-
» stendeva lungo la spina, e sembrava che si
» diffondesse a tutto il corpo. Cotugno s'inge-
» gnò a trovare la cagione di questo fenomeno
» particolare non solo, ma di quello altresì co-
» mune a tutti, cioè della sensazione di arric-
» ciamento, che si ha quando con un ferro si
» raschia su di un corpo duro. Egli opinava,
» che il *nervo accessorio del Willis*(*a*)(*nervo*
» *trachelo-dorsale* del Chaussier, *nervi spi-*

(*a*) Confer explic. pag. 149, lin. 15-19 hujus nervi cum suis radicibus delineati in Tab. II. opusculi primi hujus Voluminis: *De aquaeduct. auris humanae internae anatomica dissert.*

» *nali* di altri Notomisti) non venga dalla mi-
» dolla spinale, ma vada piuttosto a terminare
» in quella: e che nella sua origine avendo co-
» municazione col *trigono nervoso timpanico*,
» *o sia plesso timpanico* (*a*) vada col suo tronco
» a passare pe'l forame lacero, e quindi si diffonda
» alla midolla spinale della cervice con molti filet-
» ti, i quali vanno divenendo più lunghi a misura
» che scendono in basso, terminando l' ultimo
» filetto alla parte laterale e posteriore della
» midolla al di sotto della radice posteriore del
» quarto nervo cervicale, e qualche volta tro-
» vasi anche più in basso, cioè incontro alla
» sesta o settima vertebra della stessa regione
» cervicale. Ciò premesso, egli diceva, che per
» mezzo del *plesso timpanico* e del *nervo*
» *accessorio del Willis* l' impressione del
» suono potesse diffondersi dall' orecchio sino
» alla midolla spinale, e quindi prodursi la
» sensazione di scossa e di arricciamento: ed
» ecco il commercio organico tra l' orecchio
» umano e tutta la midolla spinale: e sicco-

(*a*) Videsis hunc plexum in situ, Tab. II. fig.I. *de Sternutamenti physiologia* cum num. 184, 185, 187, 188 signatum; et extra in fig. III. A, B, C, quarum explicationes inveniuntur in pag. 163-165.

» me questi filetti nervosi del *nervo accesso-*
» *rio* si attaccano alla midolla spinale, e si
» dispongono in forma di corde della lira o
» sia plettro, così al N. A. piacque di chia-
» mar *plettriforme* questo commercio organico
» nervoso.

DOMINICI COTUNNII

DE

STERNUTAMENTI PHYSIOLOGIA.

Sternutamentum explosio quaedam est spiritus omnium vehementissima, quam edere possint animantia diaphragmate praedita, quae sola vere sternuunt. Ejus initia ita voluntas regit, ut possit, si lubeat, facile cohibere: at cum pectus aërem attraxit quamplenissime, subsequens explosio coërceri non potest: sequitur enim sponte sua, et quod magno conatu pectus implevit, magno impetu excutitur. Ob hanc sternuendi facultatem praedita sunt animantia certo nervorum machinamento, cujus principium est in septo narium, in diaphragmate finis. Nam latera septi tenent nervi duo, quorum alter dexterum, alter sinistrum septi latus, a vicinia canalis vidiani ad incisivum Stenonis canalem, parabolico decursu metiuntur. Ganglium utrique nervo originem praebet, quod ab insigni parte factum maxillaris nervi superioris quinti cerebri paris, recipit et vidianam radicem magni intercostalis, et ramum reducem in calvariam duri nervi septimi paris. Hoc per ganglium constituto commercio inter

narium septum, et duos illos insignes nervos, quorum alterum *parvum*, alterum *magnum sympathicum* placuit cognominare, facile est intelligere, nata acri prurigine in narium septo, qua in sede rami illi parabolici sunt, quos ego *incisivos* nominavi, ex quo primum detexi anno 1762, transire vim ad duos illos sympathicos, eorumque opera et faciem totam, et collum commoveri, et costas convulsione quadam elevari, et diaphragma immensum deprimi; et demum, postquam pectus ita aëre plenum fuerit, ut recipere amplius, vi quantavis adhibita, non possit, diaphragma tam depressum continuo contrahi tanto impetu, ut in centro tendinoso sinuetur, et versus centrum illud ita undique contractus intumescat, ut margines costarum impetuosissime detrahat, et cum his totum pectus violenter deprimat, quo tam multus aër receptus, impetu quanto maximo possit, per os, et nares cum strepitu erumpat. Haec diaphragmatis convulsio tam singularis est, ut tantum in sternutamento talis esse videatur; nam cum in sana respiratione, dum aër recipitur, contrahatur, et descendat; dum redditur, passive se habeat diaphragma: in solo sternutamento dum recipitur, descendit et contrahitur, et dum exprimitur aër, contractio ejus, descensusque non cessat, quin ita augetur, ut in convulsionem permaximam ex-

crescat. Cumque dum inspiratio naturalis est, diaphragma gibbum ex abdomine fiat, dum fit expiratio, concavum; in sternutamento, dum pectus aëre uberrime impletur, gibbum ex abdomine fit, dum hic aër exploditur, fit etiam gibbosissimum. Ex quo apparet cohibendi sternutamenti, quae possit esse ratio constans, et efficax. Nam si quis ita obstupefacere valeat nervos incisivos, ut omnis stimuli ab his nervis ad illos sympathicos propagatio intercludatur, sternutamenti progressus nullus fiet. Id ideo efficit, dum sternutamentum imminet, gingivae pressio ejus, quae superiores incisivos dentes medios interjacet, antrorsum digito appresso procurata, retrorsum linguae urgentis conantisque vi producta. Ibi enim incisivorum nervorum fines dissipantur.

TABULAE DUAE ANATOMICAE

EJUSDEM AUCTORIS

Nunc primum cum earum explicationibus in lucem editae.

TABULARUM DECLARATIO.

Tab. I. ad naturam ducta, caput et collum per longum dissectum, ablata maxilla inferiore, larynge etc., ostendit.

Tab. II. lineis primis tantummodo signata, ut magis characteres ad partes demonstrandas pateant, sub eodem antecedentis tabulae aspectu exhibetur; praeter nonnullas partes in figuris II, III, IV adumbratas, quas extra situm ipsa haec tabula proponit. Proderit vero semper hanc cum prima comparare, quae cum umbris sit picta, facilius ejus partes oculis subdere valet.

Ex characteribus vero in hac secunda tabula signatis exponuntur tantum ii, qui *Nervos incisivos*, *Plexum tympanicum*, et eas juxta Auctoris mentem partes ad sternutamenti physiologiae explicationem pertinentes designant, uti sequentes paginae exhibent. Nam eadem ta-

bula ad diversas machinae animalis occultas functiones declarandas inservire debebat; sed cl. Auctor morte praeventus, hoc idem, quod ocyus incoeperat, ab anxia aegrorum cura, et pluribus muneribus usque ad sui fati extremum continenter distractus, absolvere non potuit.

ICONUM EXPLICATIO TAB. II.

FIG. I.

Nervi incisivi Cotunn. (*naso-palatini* Scarp.) *cum eorum origine, progressu, fine ac nexu in hac figura tantum indicantur.*

Num. 141. Foramen ovale durae meningis, per quod fibrae nerveae Paris Quinti exeunt.

142. Fibrae nervosae Quintum par (*nervus quintus cerebri*, Soemm.; *nervi trigemelli*, Boyer, Bichat; *nervi trifacciali*, Chauss.) componentes a dura meninge (180, 180) denudatae: nempe *Ganglium* Gasserii; *Intumescentia semilunaris* Wrisberg; *Plexus retiformis* Girardi; *Nodus* Soemmering.

180, 180. Partes durae meningis scissae utrique lateri deductae.

143. Primi et secundi rami Quinti paris radix.

144. Primus Quinti paris ramus, sive *nervus ophtalmicus* Willisii (*primus ramus Quinti nervi*, Soemm.; *nervo orbito-frontale*, Chauss.).

145. Nervus nasalis (*naso-lobularis*, Soemm.; *naso-palpebrale*, Chauss.) ab ophtalmico (144) paris Quinti; nempe unus ex ejusdem tribus ramis.

146, 147. Nasalis nervi ramuli duo, *ciliares* nuncupati, paullo post eorum exitum abscissi, qui fere supra nervum opticum (67, 68) transeuntes in oculi globum distribuuntur.

148. Ejusdem nervi ramus, sc. *nasalis exterior* (*ramo-palpebrale*, Chauss.) etiam recisus, qui extra orbitam producitur.

149. Alter dicti nervi ramus, sc. *nasalis interior.*

150. Progressus ejusdem nasalis, qui per rimulam anterioris partis laminae cribrosae in partem anticam ac superiorem narium descendit, ubi in duos sequentes ramos (151, 153) subdividitur, nempe:

151. Ramus (*nervi nasalis interioris ramus major*, Scarp.) per membranam pituitariam juxta marginem septi descendens paullo post ejus ortum recisus, et

152, 152, 153. Nervus naso-lobularis (*naso-lobare*, Chauss. ; *nervi nasalis interioris ramus minor*, Scarp.) in toto suo itinere expositus.

154. Paris Quinti ramus secundus, sc. *nervus maxillaris superior.*

155. Ejus ramulus cutaneus excisus.

156. Idem nervus maxillaris superior (154) prope scissuram spheno-maxillarem resectus.

157. Locus, in quo ipse nervus in ramos 158, et 159, qui etiam abscissi conspiciuntur, dividitur.

160. Ejusdem nervi ramulus ad *Ganglium sphe-*

no-palatinum (161) descendens.

161. Ganglium spheno-palatinum.

162,163,164. *Nervus incisivus*, Cotunn. lateris sinistri cum toto suo itinere; nempe a 162, ubi ejus origo, usque ad 163, ejus progressus per os sphenoideum, et ad 164 denique descensus ejusdem ad palatum per canalem incisivum (95,95), cujus forus superior est in 96, et inferior in 97.

169, 169. Sectio partis spongiosae ossis sphenoidis.

170, 170. Margines canalis Vidiani, s. pterygoidei longitudinaliter dissecti, per quem rami duo (171,172), nervi Vidiani (*n. pterygoideus*, Soemm.), primum inter se conjuncti, feruntur.

171. Ejusdem nervi Vidiani *ramus profundus*, s. *carotideus*, qui per calvariae basin ad secundam canalis carotici flexionem se ducit, ubi cum ramo anastomotico Sexti paris, et supremae partis *Ganglii cervicalis* superioris (212) conjungitur.

172. Ramus superior (*r. craniano*, Bichat) citati nervi, qui ad *nervum durum* (173) accedit.

173. Portio dura Septimi paris, s. *facialis* (*parvus sympathicus*, Wins.) in hiatum Fallopii extrorsum inflexa.

176. *Nervus facialis* descendens per aquaeductum Fallopii.

177. Tympani chorda recisa? (*Filetto timpanico*, Chauss.)

178. Ejusdem *facialis nervi* continuatio ad faciem diffusi.

179. Ramus tertius Quinti paris (*nervus maxillaris inferior*, Soemm.; *nervo mascellare*, Chauss.) recisus.

Trigonus nervosus, s. Plexus tympanicus in suo situ nunc in eadem figura Tabulae II. duntaxat demonstratur.

Num. 184, 185, 187, 188. Plexus tympanicus a parte anteriori, qua tempori obversus est, in ejus nativa positione ac structura, abrasione circumpositi ossis, aliarumque partium detectus, ut plane in conspectum veniat; et nervi, qui eum constituunt, sunt:

184. Truncus communis ramulorum adscendentium, sc. 182 ab Octavi paris ramo (181), et 183 a ramo (213) Ganglii cervicalis superioris (212), qui ad Plexus tympanici confectionem concurrit.

185. Nervi plexus tympanici ad *tubam Eustachianam* (*Condotto gutturale dell' orecchio*, Chauss.) 186 per longum scissam.

187. *Spatium triangulare* a fibris nerveis ejusdem Plexus circumseptum; unde *Trigoni nervosi* nomen.

188. Ejusdem Plexus tympanici ramulus superior ad (174) nervum, a *faciali* (173) productum, musculi interni mallei (175, 175) (*m. Eustachianus*, s. *rotator*, Cotunn., vel *tensor tympani*, Soemm.)

FIG. II.

Ossa nasalia ostendit.

A dextrum a facie exteriore visum, cujus *a*, *a* margo superior: *b*, *c* inferior: *a*, *b* latus externum, et *a*, *c* internum: *d* vero orificium canaliculi, per quem venula ad membranam pituitariam fertur.

B idem a facie interna spectatum, ubi *b*, *i* latus internum, et *a*, *a* sulcus pro nervi *naso-lobularis* decursu.

FIG. III.

A, B, C ejusdem *Plexus tympanici* anomalias a nexu aliorum nervorum ac partium soluti exhibent, ubi varia ejus fibrarum longitudo ac dispositio videntur, semper tamen inter se eadem similitudo observatur. Comparare autem oportet has partes cum eis in antecedentibus numeris figurae I signatis; nam ita apparebit, quomodo in proprium situm hujusmodi *plexus* in hisce iconibus repraesentatus collocetur, in quibus

a in A, B, C est truncus communis supra memoratus in infima sua parte resectus, qua cum dictis duobus ramulis adscendentibus conjungitur. (Vid. *explic.* n. 184).

b, *c*, *f* in A, B; et *b*, *c*, *h* in C. Propagines, quae latera trianguli *Plexus tympanici*

(*Trigoni nervosi*) conficiunt. (Vid. *explic.* n. 187.)

d, *e* in A, B. Nervus *Plexus tympanici* ad tubam, et aliquando duo, ut *d*, *e* et *f* in C ad eandem producuntur. (Vid. *explic.* n. 185.)

g, *g* in A, B; et *i* in C. Ramus superior ejusdem plexus nervo (*i*, *h*, in A, B, et *l*, *k* in C.) musculi interni mallei se conjungens. (Vid. *explic.* n. 188.)

i, *h* in A,B; et *l*, *k* in C. Ramus *nervi* facialis hunc inde resectus, qui ad dictum musculum internum fertur. (Vid. *explic.* n. 188.)

FIG. IV.

Offert *k* ramulum, praeter alia, nervi maxillaris inferioris, qui per ovatum foramen sphenoidis in calvariam regressus, cum *g* arteria meningea media s. spinosa (superius in *h*, *h* recisa) ad latera durae meningis *d*, *d* distribuitur.

Digitized by Google

Pag. 167.

Tab I.



Tab. II.

II.
A
B
III.
A
B
C
F
D
F
C
A
5
8
9
a
b
c
d
e
f
g
h
74
158
76
75
152
151
78
77
x
86
88
87
82
85
90
81
y
k
l
m
n
o
p
q
r
s
t
u
v
w
z

Digitized by Google

DOMINICI COTUNNII

REG. ANAT. PROF.

DE ANIMORUM

AD OPTIMAM DISCIPLINAM PRAEPARATIONE

ORATIO

Habita Neapoli in Templo Regii Archigymnasii III. Non. Novembris MDCCLXXVIII. in solemni studiorum instauratione.

m

Nunc o lecta manus validis incumbite remis.

VIRG. Aenead. X.

ARGUMENTUM.

SAPIENTIAM esse virtutem, quam mores formant, litterae perficiunt: quarum commoda ad veritatem agnoscendam, sectandamque, praecipua sunt. Veritas vero difficiles natura habet accessus, obsitos obstaculis, quae vincit animus assuetudine meditandi. Quo non animi modo vires crescunt, sed et cerebrum perficitur. Ea tamen omnia, utcumque homines parare se possint ad virtutem, nisi publica simul educatione juventur, frustranea sunt.

Digitized by Google

DE

ANIMORUM

AD OPTIMAM DISCIPLINAM PRAEPARATIONE

ORATIO.

1. Si mihi A. parum fuissent comperta cum indoles egregia nostrae juventutis, tum optimum ingenium, atque ad omnem laudem factum; et si praeteritorum temporum exempla non abunde ostendissent, qua virtute, atque constantia, in universis belli, et pacis artibus nostri homines excelluerint: profecto hac die, qua, more institutoque majorum, solemni ritu est de sapientia dicendum, omnia eloquentiae praesidia adhibuissem, quo studia litterarum, quae sapientiam alunt, pro dignitate laudando, earum cupiditate juvenum animos accenderem, atque ad optimam disciplinam incitarem. Sed litteras laudabunt, et pro ingenti munere, quo humanitatem beant, verbis extollent, qui dixerint apud gentes, quae vel nunquam litterarum nomen audiverint, vel diuturna ignavia depravatae in illarum inciderint desuetudinem; nos in

sibi arroget. Nam qui existimant, divinarum rerum, humanarumque doctrina sapientiam absolvi, et disciplinarum, atque artium comprehensione contineri, nescio quo pacto succum veluti, et sanguinem sapientiae attribuunt, vitam, qua sola clarescit, penitus adimunt. Nam ista scientiae plenitudo, sine qua stare sapientia, aut certe valere non potest, mentis intelligentia coërcetur; sapientia vero ipsa actio, et opus est animi in rectum, quod novit, constanter nitentis: cujus quidem caussae in scientia positae rerum sunt; sed lux, et veluti vita, est in actione collocata. Doctos potest homines Civitas habere permultos; sapientes paucos. Salus vero reipublicae in sapientia civium posita est; quam si qui velint appellare virtutem, per me licet altero nomine sapientiam augere. Nam profecto sapientiae, et virtutis ita promiscua sunt nomina, ut cum virtus in actione posita tota sit, atque consistat, sapiens esse videatur, non tam, qui multa recte novit, excellitque doctrina, quam qui dirigit omnia recte, atque opere praestat. Quo mihi videntur animum intendisse, qui ab inani contemplatione rerum sapientiae nomen separantes, totam vim ejus in opere, atque effectu posuerunt, et regulam, artemque vitae, quemadmodum fecit Tullius, sapientiam vocavere. Nam vita, ni sapientia regatur, flu-

ctuet necesse est, erretque exlex navis instar sine rectore.

II. Apparet doctrinam sapientiam non facere, nisi cum virtute conjunctam, et sine moribus litteras dimidiatam vim habere; nisi potius eam vim habent, qua nocere possint magis, quam prodesse; nam ea natura ingenii humani est, viribus, nisi mores dirigant, abuti. Mihi vero ea demum optimis auspiciis videtur fundata respublica, in qua boni civium mores cum egregia doctrina conveniant; nam, moribus corruptis, vel in omni scientiae laude, quaenam civilis potest esse tranquillitas sine honestate, sine fide, sine continentia, sine veritate? Ex quo recte, atque ordine factum puto ab iis, qui veterum respublicas legibus, atque decretis, instituerunt, ut primo curae haberent quo civium mores quam emendatissimi fierent, deinde ut quam latissime pateret doctrina. Cor antea, et animus formanda sunt, ingenium, et mens facile sequentur. Sed et praestabunt eadem sibi mutuo vires, atque promiscuo auxilio proficient. Nam morum integritas viam doctrinae facilem sternit, et invicem

» *Ingenuas didicisse fideliter artes*
» *Emollit mores, nec sinit esse feros.*

Utcumque tamen litterae semper erunt velut o-

culus societatis, atque in omni bene constituta Civitate cum locum tenebunt, unde omnis civium splendor, omnis elegantia, omne consilium, omnisque laus tanquam de fonte promanent. Nam misera profecto esset hominis conditio, si omnis ratio vitae sua aetate constaret: rerum quam amplissima cognitio, omnium temporum inventa, omnia scita, prudenterque consulta, litterarum fidei commissa sunt, tanquam penori, et publico virtutis aerario; quo vita fructum percipiat praeteritorum temporum, et quasi omnium aetatum favore transigatur. Inter barbaros autem homines, cultosque quid interest, nisi quod alteri vivant suae vitae proventu, alteri et suo, et omnium sacculorum haereditate fruantur? Est autem vita in tam magno posita discrimine, ut in eam ingredienti necesse sit magna, ne offendat, et tempestiva adsint praesidia; nam expectare ut offendicula vitae quis experiatur, quo postea caveat, longum, et anceps, et sero utile foret. Cumque litterae id praestent, quod est in vita praecipuum, ut nos cautos, et instructos alieno periculo faciant, praeclare mihi videntur censuisse, qui tantum de barbariei statu gentem aliquam recessisse aestimant, quantum in litteris profecerit. Qua de re gratulari nobis licet, quod litterarum laudem tam magnam, tam veterem, tam praeclaram habemus, ut plane cum paucis, atque praecipuis, possit gens nostra de

litterarum gloria, et vetustate certare. Sed hoc nostrum adeo magnum, et diuturnum litterarum ornamentum, si nostra nobis cara gloria est, si rem, commodaque nostra diligimus, tanto majori cura servandum est nobis, quanto turpius foret, rem majorum partam labore, et diligentia, et veluti per manus ad nos summo in honore traductam, quo tempore augeri, nedum servari debuisset, nostra incuria de pristino splendore, atque dignitate decidisse. Haec cogitatio nisi nos habeat sollicitos, et veluti faces nostris animis admoveat, quo tantam litterarum gloriam nobis servemus; omnino Cives aut omnem pudorem perdidimus, et patriae caritatem, quam ipsa nobis indidit natura, nullam habemus; aut quae arroganter, puto, vel per summam invidiam, nonnullae exterae gentes maligne nobis, et ingratissime objiciunt, ipsimet vera faciemus. Ajunt enim Italos, gentem jam terrarum principem, belli gloria praestantem, sapientiae fama praecipuam, otio, atque luxu corruptos, aut jam eviluisse, aut evilescere in dies. Ubi tot sapientes, tot praeclara fuere inventa, ubi tot artes vel natae, vel perfectae sint; nam et philosophia, et eloquentia, et omnis, quae tanto in honore habetur, cognitio, imitatioque naturae, veluti incunabula in terra Italia habuit; populum esse desidia enervatum, qui omnem ingenii, omnem

animi vim prorsum sopiverit. Quae si eorum invidia est, gaudebimus; si inconsiderantia, levitati hominum parcemus; si malignitas, professione nominis indignos fide homines dimittemus. Nos tamen non cessabimus virtutem extendere factis, et concutere nosmetipsos, ne in tantis naturae bonis, una, quod caput est, ad virtutem contendendi voluntate careamus. Italorum enim gloria stat, et donec homines erunt stabit spero, gentis, cui, si vel adversa fortuna omnia detraxerit, erectus animus, magnarumque capax rerum, temperantia judicii inimitabilis, ordini nata mens nunquam deerit: quibus autem ista non desint, quid deesse possit non invenio. Nos privatam nostram caussam non dicemus; certoque moderationis, et modestiae exemplo, egregia nostra in omni doctrinae genere ornamenta tacebimus. Vos Adolescentes confido non eritis degeneres, tam praestanii ingenio praediti, tot exemplis incitati, tot commoditatibus adjuti: quae si nostris hominibus ad sapientiam capessendam nunquam defuere, hodie certe, sapientissimi PRINCIPIS providentia, dicendum etiam superesse. Vos ne vobis desitis id unice oportet; nec certe deeritis, si animo ad litterarum studia accedetis parato, et integro.

III. Nam sapientiae operam dare quaedam veluti palaestra est: implendus est animus robore, quod ei cognitio veritatis acquirit. Na-

scimur enim animo vacuo, sed rerum scientiae avido, maximeque capaci; at prorsum nescio quam difficiles accessus, et laboriosos rerum veritas habeat. Itaque vitae velut certamen intranti, nisi monitor adsit, qui Epicharmi illud insinuet, *nervos atque artus sapientiae esse, non temere credere*, multa sunt illi, erroris latebris implicito, adversa ferenda. Nam humanus animus caelo delapsus, hoc, quo receptus, inclususque est, animantis consortio, velut nebula quadam circumdatus, cernere veritatem, nisi magno conatu, magnaque virtute adhibita, non potest. Veritatis enim inventio non spectaculo rerum, sed animi judicio constat; et nisi animus diligenter attendat, et omnia ad calculum opportuna perspiciat, judicium fieri, et de veritate rerum constare non potest. Attentio autem operosissima animo, et longe omnium difficillima actio est; nam secum habitet oportet, pene ab omni sejunctus animantis consortio, quo tanto operi vacet. Repugnet necesse est sibimetipsi, abstrahatque se de animantis corpore, quîcum amica concordia semper stetit: idque sine vi, sine virtute fieri non potest; nam ea adversantur, quae non facile sint vincenda. Adversatur assuetudo cum sensibus grata menti, cui omnis scientiae, quam tantopere expetit, instrumenta sunt, et quorum officio magnam natura voluptatis perceptionem annexuit, puto

quo illecta mens libentius observationi rerum incumbat hujus universitatis. Nam humanis animis non est nascendo negotium majus propositum quam ut rerum cernant universam naturam, quo tam multis, tam variis, tamque magnis operibus attendentes agnoscant quis esset ARTIFEX. Sed sensus ad scientiae ministerium voluptatem inducentes illudunt animo, qui ita voluptate afficitur, eidemque adhaeret, ut, scientiae fructu fineque neglecto, in ipsa sensuum voluptate, tamquam meta, consistat. Voluptas autem cum animo placuit, ita occupat totum, atque suis illecebris inebriat, ut omnem illi aditum ad veritatem praecludat. Etenim sollicitudine replet, quae animi habitaculi convulsio quaedam est, et turbinis instar ita perpetim cor exagitat, ita animum conturbat, ut colligere se non possit, neque ad judicandum suas vires intendere. Animo autem voluptatibus subdito, et ea, quam pariunt, sollicitudine anxio, nescio an Sol possit quicquam videre miserius. Quae enim potest haerere sapientia, quae tota pax est, tota tranquillitas, irrequieto pectori, et insanis vorticibus agitato?

IV. Sapientiam itaque spectanti, nisi suo pretio constent hae, quae per sensus voluptates adveniunt, quas nobis natura non occupationem dedit, sed ad scientiam, et virtutem invitamenta, ut per imagines affectionesque rerum,

quas sensu percipimus, ad earum perquirendam utilitatem convertamur, spes veritatis erit omnino praeclusa: Magnam ex hoc caeli conspectu voluptatem sentimus, magnam afferunt ista tam pulchra, tam varia, quae terram ornant, objecta; in unius spectaculi voluptate consistere stupidi est animi, et se brutis animantibus coëquantis, quae pariter vident ut nihil intelligant. Voluptas homine digna altior sedet, et leves istae sensuum voluptates immortalis sunt nostrae voluptatis ancillae. Imagines rerum, quas per sensus accipimus, veluti semina sunt, quae in animum veniunt, ut ea foecundet, efficiantque id ad quod natus est homo, ut DEUM agnoscat, et omnium rerum ad vitam utilitatem percipiat. Nisi enim ad haec admitteremur, nihil erat tanti ut nobis tribueretur ingenium tanta vi cogitationis, tanto acumine, tanta facultate rationis, qua supra caeteras animantes extollimur, et in communi vita principatum tenemus. Nam tot scientiae, tot artes, quae vel in ordinem redigunt universam naturam, vel ad vitae usus pertrahunt tam varios, tamque multiplices, si ratio, cujus monumenta sunt praeclara, prorsum quievisset, non exstarent: neque spes esset auctum iri, si animus rerum phantasmatis distractus, et veluti sopitus, ab illa rationis contentione conquiesceret. Bellum est veluti quóddam cum phantasiae voluptatibus philosopho habendum, non quo illas

prorsum deleat, sed quo ita moderetur, ut rationis imperium non imminuant. Robur erit totum in uno habitu attentionis, meditationisque repositum, cui si assuescat, jam cum omnibus phantasiae insidiis feliciter colluctabitur. Cum se ad hunc habitum composuerit, bene auguror sapientiae studioso ad virtutis vestibulum jam progresso, quae tum fores pandit, atque candidatos admittit intimius, donec ad sedem veritatis perducat, quum illos videt cum speciosis voluptatibus alacriter decertantes. Nam quidquid absonum homines credunt, quidquid pravius cupiunt, quidquid peragunt turpe, non corruptae rationis fructus est, quae stabilis, et recta, nunquam aegrotat, sed aeterno robore ostendit se esse immortalem; verum phantasiae culpa est, quae audaci ingenio multa fingit, multa supra verum exauget, ornat, exaggerat, ut vel ficta pro veris, vel multo majora vero, animi judicio repraesentet. Attentio, et meditatio fraena injiciunt, ne deliret, nec relictum est homini adversum blandam istam, et deceptionis plenam hostem, tutius praesidium.

V. Quae eo est diligentius compescenda, quo tamquam ex insidiis in incautos nos insilit, eoque tempore occupat confirmare sese, et rationis imperium antevertere, quo naturae quadam necessitate coacti ad vitanda illius damna parum idonei sumus. Nam humanis animis unam

formam opinor, unumque vigorem indidisse naturam ; valere autem , et agere , non pro insita vi , sed pro vario statu corporum , quibus inoculantur . Nimirum huic glebae addicti sumus, quae nisi consistat , et imperii patiens fiat , frustra conetur animus explicare vim suam , et igneum illum , caelestemque vigorem , plenius ostendere . Animi aetates , qui tres praecipuas numeret , mihi videtur non abludere a vero . Quis enim prima animi tempora, quae recens in lucem edito obveniunt , non dicat in perenni abstractione transfluere , cum et novitas objectorum , et varietas , et numerus , de obscuritate , et ignoratia omnium rerum venientem voluptate debeant incredibili afficere . *Abstractionis* aetati , quam periculum est fore longissimam , nisi de ecstasi illa gestiente , tamquam de praecipiti, et incerto cursu , animus sedulo revocetur, *considerationis* aetas succedit ; cum animus, ab illo auxio , et inani rerum spectaculo veluti fractus , semetipsum respicere incipit , et in rebus, quas cernat , utilitatem aliquam sibi quaerere. *Ordinis* aetas aevum animi finit : quasi aeterna cautum lege sit , ut tum demum ratio se sibi totam vindicet, cum rerum vitae pretium suo periculo novit . Hunc tam varium animi statum, corporis , quo animus includitur , varia conditio regit. Vegetationis aetas cum perfecta non est, animi abstractioni favet; perfecta, libertatem ra-

tioni majorem relinquit, cum decrescunt corporis vires, tunc animus liberior sibi vivit. Quem progressum cum specto, mihi evidens apparet, humano animo nihil inesse concretum, nihil mortale, si tum vivere incipit, cum corpus, quo concluditur, affectat emori.

VI. Magna est enim in cerebro, quo animus sedet in alto positus, animantis sibi addicti fraena moderaturus, vegetationis vis, magna potestas, quae animi statum conturbet, atque dominatum exagitet rationis. Nam lentissimae vegetationis hominis corpus, etsi cerebri formationem longe praevertat, ita tamen comparatum est, ut, ex omnibus ipsius partibus, cerebrum videatur primum omnium oriri, omniumque partium postremam incrementi terminum obtinere. Adeo, in ejus formatione complenda, lentus, atque diuturnus, naturae labor est, quasi consciae quid momenti illud in homine habeat, quod caelestem sit, atque divinam vim rationis complexurum. Vegetandi progressio aliquid in dies cerebro addit, multa explicat, atque distendit; variataqne paullatim receptaculi forma, cogitationis vim, atque animi statum, alium, aliumque reddat necesse est. Non quod animus immortalis ita mutari contingat, sed quia rationis vis, atque facultas, quae est animi propria, et imagines rerum, quas in cerebro pictas phan-

tasia servat, observando, conferendoque exercetur, plus minus extendi, et ampliari oporteat, pro varia imaginum, tum claritate, tum numero. Nisi enim cerebrum confirmetur, atque consistat, stabiles, definitaeque ideae esse non poterunt; nam mollissima illa pars corporis accipiet quidem facile, sed retinebit difficillime impressa, quae vegetationis progressu mutari facile, vel obliterari, contingat, et a vero diversa repraesentari. Est enim vegetandi tempore vis sanguinis ad cerebrum a corde impulsi crebrius se movente, et per canales currentis minus tortuosos, expeditior atque vehementior, quae cerebri fibras exagitet, et in perenni statu vibrationis contineat. Itaque ideae non ad animi nutum vocatae, sed sua sponte motae passim se animo obvertent, eumque ad se trahent, et veluti delirum in instabili scena detinebunt. Abacto ita animo, atque jactato, quaenam judicandi potest esse facultas, aut quid potest excogitari stolidius?

VII. Est haec parata nobis ingredientibus vitam certe magna calamitas; at illa major, quod, nisi cito occurramus, facile aetates reliquae in eamdem perniciem delabantur. Quod enim vegetatio prima aetate efficit, vitia, quae facile subrepunt, et in abalienatum animum invadunt, reliquo vitae tempore praestabunt. Nam votum, timor, ira, voluptas, gau-

dia, discursus, quae homines invadunt, quorum sileat ratio, ita cerebrum perturbant, ut animum in perenni vexatione constituant. Prima regenda aetas est, in ea pugnandum, si reliqua vitae tempora obsecundantia velimus. Nam corporis conditio urgere nos potest; vincere, nisi velimus, haud plane potest: deditque rerum Auctor voluntati humani animi, in his, quae ad corporis pertinent obsequium, supra quam credi possit praestantissimam facultatem, ut, si connitatur, facile valeat, per quae ipsi vis fiat, sibi vincendo subjicere. Sed voluntatem judicium parit, judicium meditatio; quam, si placet definire, omnium aetatum medicinam vocemus. Meditandi assuetudo primae animi aetatis abstractionem compescet, aetatem mediam sapientiorem efficiet, vitam universam animo vindicabit, quem solum oportet in homine valere. Nam animans, nisi animo pareat, animo imperat: sibique relictus subdolus fiet, invidus, audax, in propriam alienamque perniciem proclivi ingenio:

. . . *hunc fraenis, hunc tu compesce catena.*

VIII. Ad sapientiam igitur contendenti, si praeparandus est animus ad caeli commercia conscensurus, quod erit majus sanctiusve

